ANTONII GRATAROLI D IMMORAN

EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 C
h42
X. 13.
7.

14
б
A
11

ANTONII GRATARO-LI PHILOSOPHI AC ME DICI DE IMMORTALI-TATE ANIMAE AD MEN-TEM ARISTOTELIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. Blasii de anulo

VENETIIS. M. D. LIIII.

MARCO ANTONIO
VENERIO SENATORI
MAXIMO SANCTI MAR
*ci procuratori digniſſimo ac phi
loſopho grauiſſimo.*

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

HIERONYMVS GRATARO-
lus Venetus Felicitatem.

CVM Bononiæ ſub Petro Pomponatio ea tempeſtate philoſophorum maximo bonis literis operam nauarem Senator optime: is tractatum de mortalitate anime ad mentem Ariſt. edidit. quem imprimendum curauit. hunc ad Antonium Gratarolum philoſophum. ac medicum tui ſemper deuotiſsimum mihi vero parentem tranſmiſi: isq; vt tanti philoſophi opus ala-

criter ſuſcepiſſe nobis per literas ſi gnificauit. quod etiam cuilibet legenti tractatum hunc patere poterit. aduerſus quem ſcripta hec de Immortalitate anime ad mentem eiuſdem compoſuit. eaque & reuerendis Theologis. & doctis nobilibus & forſan quoque tibi ſapientiſsimo philoſopho & alijs noſtri ordinis doctoribus facile oſtendiſſe credimus. quæ tante ab ipſis ſunt habita exiſtimationis, vt ſolum Antonium Gratarolum Ariſt. mentem in hac materia dilucidaſſe publice profiterentur: Quare cum poſt multos annos pater ex hoc ſeculo deceſsiſſet nonnulli ex amicis noſtris ſummopere a me efflagitarunt. vt tractatum hunc cu

den-

dendum curarem . quem non aurè popularis ſtudio . ſed vt magis precibus amicorū ſatisfacere credam . prodire in lucem ſtudebo: Cui vero laboras hos paternaſque vigilias dicare poſſem.tu mihi præ alijs omnibus procurator clariſsime obuiam factus es.quando cum ex nominis tui ac fame celebritate non parum auctoritatis . & gratie apud homines accedere poſſe ſperem . tum vt inſigne aliquod paterne obſeruantie documentum in te haberem quotus quiſq; enim eſt . qui neſciat Marcum Antonium Venerium genere quidē nobiliſsimum omnibus cum corporis tum animi dotibus adeo ceteris omnibus preſtare,vt enim ex

tantis pauca quedam dicam . quis
vnquam prudentior? & ad res be-
ne gerendas aptior ? ac fælicior ?
quis denique facundior? quis con
ſtantior ? quis in re publica conſer
uanda & adaugenda adeo ſollici-
tus ? adeo ſemper in vigilans ? ne-
que illud obmittendum eſt. quod
preter ſingularem prudentiam,
animi moderationem iuſticiamq;
omnium virtutum merito regi-
nam adeo ſis equitatis amantiſsi-
mus : vt non minus potentum ac
diuitum . quàm infimorum & pau
perum negocia tibi cure ſemper
eſſe debere exiſtimaris, rem pro-
fecto in adminiſtratione reipubli-
ce eternis laudibus extollendam:
Qui igitur fiet . vt hæ paterne lu-
cubra

cubrationes patrocinio tuo frete ſe plurimum apud ſtudioſos gratiam inituras dubitent?deinde ſcripta hec tibi dicare conſtitui . non quodea eſſe credã. que tanto viro digna putentur. ſed quo maleuoli non audeant tentare. que ſub vmbra tua prodire viderint : memor ſis doctor grauiſsime priſcam eius & ruſticam gentem . vt refert Plinius dijs tantum lacte ſupplicaſſe. & mola tantum ſalſa litaſſe .qui nõ haberent thura : Accipe igitur vir Magnifice ea . qua ſoles. animi benignitate.meq; ſub vmbra alarum tuarũ protegas: ſi tamen per negocia publica legere licuerit . dignaberis neq; eſt.quod aliquã labẽ reformides.nam ſi quid in eis fuerit.

quod ſit laudandũ id totũ auſpicijs tuis factum eſſe dicent. ſi quid vero in probandum. in Antonium patrem continuo euoluetur: Vale preſidium & dulce philoſophiæ Decus.

Antonij

ANTONII GRATAROLI PHILOSOPHI AC MEDICI AD HIERONYMVM FILIVM.

TRACTATVM perdifficilem de hiſtoria animę Hieronyme tuo nomine accepi, rem mihi adeo gratam vt nihil gratius afferri potuerit. quid nam iucundius afferri poteſt affectanti ſpeculabilia ſcire, quàm tractatum illius ſpeculabilis, quod maxime omnes affectant: & non ab re, cum illo perfecte adepto ſcientia totius vniuerſi tam rerum materialium quàm rerum immaterialium nobis ſit acquiſita, & erit illud ſcire acquiſitum a nobis, de quo Ariſt. primo ſuę ſapientiæ in initio prohemij dicit proclamando, quod omnes homines ſcire deſiderant, appetitu quodam modo naturali & etiam voluntario, licet aliquando cadat oppoſitum in aliquibus deprauatę naturę, & hoc erit per accidens, & extra ordinem naturæ, & licet pauciores ſint. qui talem finem perfectæ aſſequantur. immo fere per pauci, immo fere ętate noſtra nulli non propter hoc remouetur. quin

ille

ille ſit finis vltimatus hominis inquantum homo, & non ipſa virtus. immo habitus moralis non eſſentialiter perficit intellectū noſtrum, cum ſint tantum tres habitus. vt mathematicus methaphyſicus, & naturalis: alij autem habitus ſunt propter bene eſſe iſtorum, & propter horum acquiſitionem. vt habetur ab Ariſt. tertio methaphy. non immerito igitur mireris mi Hieronyme, ſi tractatus iſte fuerit a me admodum affectatus, & eo magis cum à tali viro tanta doctrina prædito ęditus fuerit, cui multum debemus, & ſi ſolum in tali materia topice & non demonſtratiue proceſſerit, cum fere omnes in tali materia tam antiqui quàm moderni proceſſerint potius per quendam probabilitatis modum.

SED dictis noſtris videtur aduerſari Ariſ. primo de anima, vbi videtur dicere ſciētiā de anima alias ſciētias excedere & nobilitate ſubiecti, & certitudine demōſtrationis.

DICIMVS quod dictum Ariſt. habet veritatem quo ad ſubſtantiam ipſius animæ & quo ad eſſe ſimpliciter, quod ſit. verum quoad aliquas animæ conditiones ſcilicet quod ſit mortalis, vel immortalis, ſeparabilis vel inſeparabilis. vnica in omnibus hominibus, vel plurificata ad plurificationē corporum

porũ & ſimiliter de ipſius modo intelligendi: de iſtis conditionibus animæ vſq; modo ad tẽpora noſtra adhuc ſub iudice lis eſt: & teneo hoc fore problema neutrum in dictis Ariſt. qui iudicio mea neſciuit, vel noluit ſeipſum determinare : verum quia in iſtis problematibus & ſi ſit potius procedendũ topice, quã poſterioriſtice. quia tamẽ in hoc & ſi nõ certitudine demõſtrationis, ſubiecti tamen nobilitate ſcientia hec eſt multũ deſiderata, quia ſcire de altiſsimis per quãcunq; cognitionẽ licet minimam melius eſt ſcire quam de infimis per certam cognitionem, et ideo omnibus tam antiquis quam modernis gratias agere debemus iuxta illud Ariſt. ſecundo metaphyſices textu ſecundo, iuſtum eſt non tantũ illis nos debere cum quibus habemus communicationem in conſideratione, verum etiam illis. qui habent modicum quid dignitatis quia iuuerũt nos in inueſtigando veritatem, quia præceſſores noſtri excitauerũt ingenia noſtra ad indagandum veritatem, & non eſt mirum. ſi poſteriores ſapientiores, quia vtroque ingenio valent, vt inquit Priſcianus in prohemio ſui operis, & ſemper poſteriores addunt aliquid prioribus, quia poſterioris eſt addere id, quod deficit prioribus: & ſic patet

patet ſolutio ad illam obiectionem.

VERVM quia nonnulli moderni & precipue Petrus Pomponatius proceſſerunt in via Ariſt. aſſerentes firmiter animam noſtrã intellectiuam fore caducã cum noſtro corpore inſeparabilem & eductam de potentia materie ſicut alie forme ſubſtantiales: cuius oppoſitum in via Ariſt. nos ſentimus, eorumque rationes me iudice nullius penitus fore efficacie, & eorum auctoritates per eos allegate. ſi recte intelligantur potius concludunt oppoſitum quam propoſitum: quare tibi in hac materia aliqua ſcribere, decreui, quæ ſaltem ingenium tuum excitare habebunt. iam decreueram ab iſtis ſuper ſedere cum tot iam annis iſtis operam non dederimus, & iam fere erant mihi tradita obliuioni. tamen facile reminiſcimur, cum volumus: Vale.

Diuiſio huius tractatus in tres articulos.

IN hac materia tali ordine procedemus. Primo titulum queſtionis tantum declarabimus: Secundo opiniones falſas recitabimus, & eas impugnabimus. Tertio opinionem. quam iudicamus eſſe ad mentem Ariſt. adducemus, & eam tutabimur, ſic

itaque

itaque tota hæc queſtio diuiſa erit in tres articulos.

Primus articulus.

QVANTVM ſit de primo articulo: Queſtio eſt, vtrum anima humana ſit forma hominis, & ſit mortalis vel immortalis in via Ariſt.

NOTANDVM ergo circa primũ, quod forma quinq; modis accipi poteſt, eſt enim vna forma, quæ in eo cuius eſt forma, non exiſtit: & hęc non modo forma, ſed Idea appellatur, & ſic ſpecies domus. quæ eſt in mente artificis. dicitur forma domus, quæ eſt ad extra in lignis & in lapidibus. Secundo modo dicitur forma, quæ eſt in eo, cuius eſt forma, quamuis ſuum eſſe ſit aliud ab eſſe illius. cuius eſt forma; & iſto modo intelligentia aſsiſtens orbi dicitur forma ipſius orbis. vt ab omnibus conceditur, & hoc etiam videtur voluiſſe Auerroes de anima intellectiua, quod ſit forma aſsiſtens ipſius hominis, & non dans eſſe ſpecificum homini: Tertio modo dicitur forma, quæ eſt in eo. cuius eſt forma, & ſuum eſſe eſt etiam eſſę illius, cuius ęſt forma. quamuis id, cuius eſt forma, habeat aliud eſſe ab eſſe forme, &

hoc modo quodlibet accidens eſt forma, eſt enim ipſum accidens in eo ſubiecto, cuius eſt forma, & eſſe accidentis eſt etiam eſſe ipſius ſubiecti, cum accidens cõmunicet ſuum eſſe ipſi ſubiecto, vnde dicimus ſubiectum eſſe album, ideſt habere eſſe albedinis, vltra hoc tamen ſubiectum habet ſuum eſſe proprium ſubſtantiale: Quarto modo, dicitur forma. quæ eſt in eo, cuius eſt forma, & eſſe ſuum eſt eſſe illius ſubiecti. cuius eſt forma, nec tale ſubiectum habet aliud eſſe ab eſſe forme: & hoc modo quelibet forma ſubſtantialis ſpecifica rei dicitur forma, nam ipſa eſt in materia. cuius eſt forma. & ſuum eſſe eſt eſſe materię, & materia nullum eſſe habet ab eſſe ipſius forme ſubſtantialis. Et quia vt nonnullis placet, hæc quarta forma eſt duplex, vna quidem cuius eſſe eſt in ſubiecto, vt ab eo ſubiecto dependeat. alia vero a ſubiecto non dependeat in eſſe: ideo in vniuerſali erunt quinque forme: hæc igitur quarta forma dupliciter accipitur: Quęſtio igitur erit cum anima noſtra non ſit nec materia, nec compoſitum, vt placuit Ariſt. ſecundo de anima circa principium, nec ſit forma primo modo, nec forma tertio modo. vt omnes fatentur: vtrum autem ſit forma ſecundo modo, vt Auerroi viſum fuit,

an

an quarto modo, vt placuit Alexandro, vel quinto modo, vt videtur tenere Ariſt. quem omnes legis doctores ſequti ſunt, & hęc de primo articulo queſtionis.

Secundus Articulus.

AGGREDIAMVR nunc ſecundum articulum queſtionis in quo recitabimus & inpugnabimus falſas opiniones circa hanc materiam de ipſa anima, & quantum ad preſens ſpectat ſunt tres opiniones. Prima eſt Alexandri aphrodiſei qui fuit diſcipulus Ariſt. Secunda fuit Auerrois: Tertia opinio eſt cuiuſdam moderni nomine Petri Ponponatij, aduerſus quem hunc tractatum de anima compoſuiſſe volui. vt male intelligẽtem ac male interpretantem dicta Ariſt.

Opinio Alexandri.

ALEXANDER, vt refert Auerroes tertio de anima, & Magnus Albertus, tertio de anima capite quarto Tractatu ſecũdo & Beatus Thomas in multis locis, ponit iſte vir ad mentem Ariſt. quatuor concluſiones.

PRIMA concluſio. Anima Intellectiua humana eſt forma ſpecifica hominis dans ei

eſſe.

eſſe. ſicut & forma bouis dat eſſe ipſi boui.

SECVNDA concluſio. Anima hęc educta eſt de potentia materię. ſicut cętere formę ſubſtantiales rerum generabilium & corruptibilium.

TERTIA concluſio. Anima hæc incipit eſſe incipiente homine.

QVARTA concluſio. homine deſinente & ipſa anima deſinit: quas concluſiones eſſe ad mentem Ariſt. ſic probat Alexander.

PRIMA concluſio ſic probatur. quod quid erat eſſe alicuius rei eſt forma ſpecifica illius rei. vt teſtatur Ariſt. ſeptimo metaph. ſed anima intellectiua eſt actus & quod quid erat hominis. ergo anima Intellectiua eſt forma ſpecifica hominis. minor eſt ipſius Ariſt. ſecundo de anima textu decimo octauo vbi dicit. quod vniuerſaliter loquendo de ipſa anima, quod ipſa eſt actus, & quod quid erat eſſe ipſius. cuius eſt forma & actus. ſed quoniam hæc prima concluſio Alexandri etiam à nobis conceditur, & infra magis probabitur. ideo ſuper ea non aliter immorabimur.

SECVNDA concluſio ſic ab ipſo probatur. formam educi de potentia materiæ eſt illam formam induci in materiam per tranſmutationem accidentalem præcedentem.

tem. cuius tranſmutationis accidentalis ipſa forma eſt terminus. Sed ita inducitur.anima Intellectiua in materia. ergo anima Intellectiua eſt educta de potentia materię:minor propoſitio de ſe patet. maior vero probatur tum inductiue in qualibet alia forma ſubſtantiali de potentia materię educta.tum etiam per locum ab oppoſito. nam ideo dicimus lumen eſſe formam non de potentia materiæ eductam. quia non inducitur in ſubiecto per tranſmutationem accidentalem, & ita dicemus de ſpeciebus rerum ſenſibilium in medio & in organo. quod ſcilicet non ęducuntur de potẽtia materiæ.quia non inducuntur in ſubiecto per tranſmutationem accidentalem, cuius tranſmutationis iſta ſint terminus. patet ergo, quod iſta ſecunda concluſio eſt vera.

Tertia concluſio ſic probatur. quoniam id. quod æducitur de potentia materiæ, tunc incipit éſſe, quando educitur de potentia materiæ, ſed quando ipſa anima humana educitur de potentia materiæ, homo incipit eſſe, ergo quando homo incipit eſſe, anima incipit eſſę, quæ erat tertia concluſio Alexandri.

Qvarta concluſio ſic probatur. forma educta de potentia dependet in eſſe a ma

 teria

teria. & ex conſequenti non poteſt eſſe ſine ea, & ex conſequenti ſeparata a materia deſinit eſſe. ſed hominem deſinere eſſe. eſt animam ſeparari a materia. ergo cum homo deſinit eſſe. anima Intellectiua deſinit eſſe: que erat quarta concluſio Alexandri.

ET confirmatur hæc quarta concluſio. quia quæ ſunt eiuſdem generis. ſi vnum eſt corruptibile, & reliqum eſt corruptibile. decimo metaphy. ſed anima humana, & anima bruti ſunt eiuſdem generis. ergo cum anima bruti ſit corruptibilis. corrũpiturq; ad corruptionem bruti. ſequitur animam humanam corruptibilem eſſe, & corrumpi ad corruptionem hominis.

IDEM confirmatur auctoritate Eccleſiæ tertio. vbi dicitur. vnus eſt interitus hominis & iumentorum, & equa eſt vtriuſq; conditio. ſic itaque apparet opinio Alexandri cum ſuis fundamentis.

Inpugnatio in opinionem Alexandri.

SED quoniam hæc opinio non ſolum fidei. ſed etiam Ariſt. repugnare videtur. ideo contra ipſam inſtabimus. contra tamen primam concluſionem non inſtabimus. quia vera, & ratio probans eam concludit. quare ad-

re admittenda eſt.

Contra ſecundam concluſionem ſic inſtatur. Ariſt.ſecundo de generatione animalium capite tertio loquens de animalibus dicit quod ſola mens extrinſecus accedit. vbi translatio antiqua habet. de foris venit vult dicere. Ariſt.quod ſola anima Intellectiua ab extrinſeco ingreditur materiam. alie vero forme de potentiam materiæ educuntur. quare &c.

Contra tertiam concluſionem non arguitur. quia eſt vera, & eam ad mentem Ariſt.acceptamus, & etiam quia eſt concluſio fidelis.

Contra quartam concluſionem arguitur. Ariſt. ſecundo de anima. xxi. habet. quod anima ſeparatur a corpore ſicut perpetuum a corruptibili. ergo homine deſinente anima Intellectiua non deſinit eſſe. quod eſt contra quartam concluſionem Alexandri.

Hvic dubitationi poſſet ſic reſponderi ab Alexandro. quod ſecus eſt loqui de anima Intellectiua. quæ eſt forma ſubſtantialis, & de ipſo Intellectu poſsibili. ſeu de proprietate ipſius animæ Intellectiue. de Intellectu loquitur Ariſt.loco allegato, & non de ipſa anima. vt patet ex textibus ſequen-

tibus, & præcedentibus. in quibus de proprietatibus ſiue de partibus ipſius animę loquitur. quas ipſe partes animæ vocat, & de hac potentia intellectiua dicit. Ariſt. quod ſeparatur a corpore. non quod remaneat poſt mortem. ſed quia talis potentia eſt ſubiectiue in anima, & non in corpore, & quia Intellectus propter hoc aſsimilatur entibus æternis.ſiue perpetuis. ideo non dicit Ariſt. Intellectum eſſe perpetuum. ſed dicit tanquam perpetuum a corruptibili, ideſt ſimile perpetuo: vult ergo Ari.in illo textu duo dicere ſecundum hanc reſponſionem.quod Intellectus ſic ſeparatur ab hoc quod non ſit ſubiectiue in corpore: ſecundum. quod propter hoc ſimile eſt perpetuis.

Et. quod hæc reſponſio ſit ad intentionem Ariſt.patet: nam Ariſt.tertio de anima. textu. xx. loquens de intellectu agente.qui ſecundum Alexandrum eſt veræ æternus & ſeparatus ab homine dicit hic ſolus veræ eſt ſeparatus, & in mortalis. dicit. ſolus. quia non intellectus poſsibilis. dicit vere. quia Intelleſtus poſsibilis non veræ perpetuus. ſed tanquam perpetuus. quare auctoritas hæc potius facit pro Alexandro. quam contra Alexandrum.

Sed quamuis gloſa hæc data ſuper illo

textu

textu allegato ſit ſatis ingenioſa, & videatur quadrare textui Ariſt. in re tamen nulla eſt. nam Ariſt. x i i. metaphyſi. textu. xv i i. expreſſe dicit. quod nihil prohibet aliquam formam ſubſtantialem remanere poſt corruptionem compoſiti. ſicut eſt de anima Intellectiua. ecce. quod Ariſt. loquitur non de potentia animæ. ſed de anima ipſa Intellectiua. quod tamen negabat Alexander, & dicit poſt mortem remanere. quod tamen ipſe negabat: quare opinio hęc tanquam falſa & hæretica dimittatur: & textum illum tertij de anima x x. quem adducunt pro ſe. diffuſius in reſponſione ad ſextum argumẽtum Pomponatij infra exponemus: ſcio tamen textum illum pro opinione noſtra adductum in x i i. metaphyſi. exponi & gloſari a parte oppoſita. quem tamen inferius diffuſius declarabimus.

Solutio ad rationes Alexandri.

REIECTA igitur opinione Alexandri tanquam falſa in via Ariſt. reſtat modo reſpondere argumentis ipſius, & primo ad illud ſecundæ concluſionis reſpondetur negando maiorem, & ad primam probationem negatur antecedens vniuerſaliter. nam

 mini-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

minimus verbi gratia. a. gradus caliditatis. qui in inſtanti inducitur in ſubiecto. non eſt terminus alicuius precedentis alterationis, & tamen talis gradus educitur de potentia materiæ: ergo falſum eſt. quod in qualibet forma ſubſtantiali educta de potentia materie talis forma inducatur ĩ materia per tranſmutationem accidentalem præcedentem: quod tamen concedebat Alexander.

Ad ſecundam probationem de lumine, & de ſpeciebus in medio. quæ erat probatio maioris propoſitionis dicitur. non eſſe ſimile. quoniam de ratione omnium formarum ſubſtantialium eſt ſic induci in materia. vt ſint terminus extrinſecus alterationis. quod quidem non eſt de ratione formę accidentalis. vt in multis exemplis patet.

Ad argumentum primum Alexandri. quo probat quartam concluſionem. dicitur. negando illam minorem. vt patet in re probando ſuam concluſionem ſecundam. diximus enim de mente Ariſt. quod anima Intellectiua venit de foris.

Ad primam confirmationem quartæ concluſionis dicitur negando maiorem. nam compoſita ſunt in genere & ſpecie ſecundum ſanctum Thomam. formæ vero ſunt principia generum & ſpecierum. cum

igitur anima hominis & bruti ſint formæ compoſitorum , & non compoſitæ . non erunt in genere ſed erunt principia generis: ſed quæ non ſunt in genere non ſunt eiuſdem generis . igitur anima hominis & bruti non ſunt eiuſdem generis, ex conſequenti non oportet. quod ſi vna ſit corruptibilis . quod etiam & altera ſit corruptibilis.

AD aliam confirmationem . vbi erat auctoritas eccleſiæ. reſpondet Beatus Thomas in queſtionibus diſputatis de anima. quod auctor ille cum dialoge loquatur . interdum loquitur in perſona inſipientum. interdum loquitur in perſona propria . in propoſito loquitur in perſona inſipientum. ideo non eſt inde ſumenda auctoritas argumentatiua: & hæc ſatis de opinione Alexandri.

Opinio Auerrois.

HANC opinionem fore magis ſuſtentabilem in dictis Ariſt. iudicamus, & obiectiones . quæ fiunt a Thoma & ab alijs contra hanc viam. nullius fore efficacie: verum eſt. quod hæc opinio non multum ſenſatis conuenit, & hoc eſt. quod Conciliator dicit in queſtione. LVII. vbi dicit. o quam mirabilis eſt iſte ordo. ſed ꝗ extraneus eſt iſte

modus eſſendi. vbi loquitur de concathena tione potentiarum animæ: Opinio igitur Auerrois vt ex dictis ſuis colligitur tertio de anima maxime in illa magna digreſsione commenti quinti, & poſtea ſe magis declarat. in ſequentibus commentis maxime vbi loquitur de intellectu ſpeculatiuo & adepto. eſt. quod anima noſtra. quę potius dicitur Intellectus quam forma, & quam anima, quia forma dicitur. ex eo quod īformat materiam, & anima ex eo quod eſt actus corporis phyſici organici. quorum nullū iſtorum competit Intellectui. in eo quod Intellectus. neque alicuit. quod eſt Intellectus. quia in via hac tenemus. quod iſte intellectus poſsibilis. qui largo modo appellatur anima. non det eſſe materiæ, neque ſit forma ſpecifica ipſius hominis. ſed ſolum communicat corpori ſuam primam operationem. quæ eſt intelligere: Intelligentia autem ſuam ſecundam operationem communicat ipſi mobili quæ eſt mouere.

Ex quo correlarie ſequitur. quod Intellectus ipſe maiorem vnionem habeat cum corpore ſuo. quam Intelligentia cum ſuo mobili: & per conſequens. ſi intellectus non dat corpori eſſe. quanto magis intelligentia non dabit eſſe ſuo orbi.

Quod

QVOD autem anima intellectiua ſeu intellectus non ſit forma ſpecifica dans eſſe ipſi corpori in via Auerrois ſic probatur. illud eſſe eſt vnum. per quod vnumquodque indiuiduum ſpeciei humanę habet eſſe, & ſic omnia indiuidua haberent eſſe vnum numerale: ergo omnia eſſent vnum. nam illa ſunt vnum. quorum eſt idem eſſe. ſed omnium eſt idem eſſe. probatur. quia quorum eſt eadem forma vltimata numeralis. eorũ eſt idem eſſe. ſed omnium eſt eadem forma numeralis. ergo omnium eſt idem eſſe, & ſic videtur eſſe ſatis demonſtratum. quod ipſa anima intellectiua in via Auerrois non ſit forma ſpecifica dans eſſe homini: & fere eius oppoſitum non poſſum imaginari: licet Ioannes de Gandauo oppoſitum tenuerit. nam tenuit in via Auerrois intellectum dare eſſe ipſi corpori. tenuit etiam animam conſtitui ex intellectu poſsibili & intellectu agente. tanquam ex partibus ſuis eſſentialibus. ſicut fit compoſitum ex materia & forma & hoc tenet Ioannes in ſuis ſcriptis de anima: quod minime approbo. quia ex duobus exiſtentibus in actu non fit vnum per ſe. ſed intellectus poſsibilis & agẽs ſunt duo in actu. de agente patet. quia agens in eo quod agens ſemper dicit actum, & eſt forma

ma per ſe exiſtens: de poſsibili autem dicit Auerroes in commēto magno in reſponſione ad vnum argumentum, quod non eſt materia. ex eo quod materia eſt in pura potentia ens. intellectus autem poſsibilis eſt ens actu, & conſtituit vnum gradum entium, & per conſequens non poterit etiam ex illis fieri vnum entium mundi quia illi intellectus ſunt duæ uaturæ in ſua ſpecie perfecti, & per conſequens non poſſunt actuare aliquod corpus: erunt ergo duę intelligentiæ infimum locum obtinentes in genere intelligentiarum, & ſupremum locum in genere materialium: ſunt ergo medij inter illa entia mundi, & ideo partim communicant cum corruptibilibus, & partim cum incorruptibilibus. natura enim procedit ordinatim a ſummis ad ima. vt inquit Diuus Dionyſius in libro de diuinis nominibus. nam ſicut in genere materialium ibi ſunt duo ſcilicet materia & forma. ex quibus totum genus materialium conſtituitur, & ſecundum magis & minus perfectum illud compoſitum fit obtinens diuerſos gradus eſſentiales. qui habent conſtituere diuerſas ſpecies vſque ad naturam humanam incluſiue. ita quod omnia entia inferiora dicuntur magis nobilia & minus nobilia per eorum ap-

propinquationem ad ipſam naturam humanam ſicut omnia metalla ad ipſum aurum graduantur. vt habetur in libro de animalibus: ſic eſt in toto genere entium in materialium poſt hominem ad ipſum intellectũ poſsibilem . qui eſt vna intelligentiarum. qui ſe habet in tali genere inmaterialium. ſicut materia in ſuo genere materialium, & quia formæ materiales dant eſſe ipſi materię. ideo per ipſas formas materia conſtituitur in eſſe ſuo: intelligentiæ autem, ex quo ſunt idem. quod ſuum eſſe. ſed minus perfectum & magis perfectum ſecundum appropinquationem ad ſummum, in quo penitus nulla cadit potentia. in reliquis autem plus & minus. ſecundum diſtantiam ab illo ſummo erit plus & minus. de potentia: quę tamen eſt idem. quod ſua eſſentia. Cum ergo intellectus poſsibilis obtineat infimũ gradum intelligentiarum. quia reſpectu intelligentiarum habet plus de potentia. ideo abſolute appellatur poſsibilis. ſicut aliquod abſolute dicitur calidum. quando in genere calidorum reſpectu cuiuſcunque erit tale, & quęlibet potentia inferior reſpectu ſuperioris appellatur poſsibilis. reſpectu autem inferioris appellabitur agens, & ſic dicimus nos ipſum intellectum agenté. quem

nos

nos ponimus fore penultimam intelligentiam. quia conſideratur per reſpectum ad nos. vt comparatur intellectui poſsibili, vt ſic habet locum agentis, qui tamen comparatus ad ſuperiorem intelligentiam tenet locum potentiæ. quia ab ipſa intellectus agẽs illuminatur. ſicut intellectus poſsibilis ab intellectu agente recipit lumen. qui intellectus poſsibilis reſpectu formæ humanæ. ſi ad illam recte ſit comparatio. habet locum agentis. ex quo ipſam illuminat, & omnes eius vires. quia cum intellectus poſſibilis ſit ſupra animam. quæ dat eſſe corpori humano, & infra intellectum agentem. ita ſenſibilis erit infra rationalem & ſupra vegetabilem,& ſic de ſingulis.quia in ordine mouentium & mobilium id quod vltimo mouetur. eſt formaliſsimum omnium. quod primo autem mouet. materialiſstmũ. & hoc quia ſecundum mouens non recipit virtutem motiuam a primo mouente. ſed ab alio. quod eſt aliquid eius: quod mouetur. ſicut cogitatiua non mouetur ab imaginatiua niſi mediante lumine.quo ipſa imaginatiua eſt illuminata ab ipſa virtute cogitatiua, & ſimiliter ipſa cogitatiua non mouet ipſum intellectum poſsibilem. niſi ſit illuminata ab ipſo intellectu poſsibili: qui-

bus

bus ſtantibus forte poſsit dici intellectum agentem & poſsibilem fore eandem intelligentiam diuerſa tamen nomina ſortientem. inquantum enim comparatur ipſi potentię inferiori. vt ipſam illuminat. dicitur agens. inquantum vero ab ipſo phantaſmate in ipſa exiſtéte mouetur. dicitur poſsibilis. quia ſicut in actione reali datur actio & reactio. ita in actione ſpirituali, & ſic dicitur agens & patiens alio reſpectu ab illo ſuperius dicto: iſta noſtra dicta partim habent videri ab Alberto. ſecundo de anima. tractatu & capite vltimis: Quo fit quod cum ipſe intellectus poſsibilis ſit in confinio ſpiritualium. qui infimum gradum intellectualitatis obtinet, & ipſa cogitatiua cum ſit in ſupremo gradu materialium, & cum ipſa cognitio intellectus poſsibilis ſit ſatis confuſa quando ſunt in eo intelligibilia in eſſe potentiali: quæ poſtea fiunt in eſſe actuali ab ipſis phantaſmatibus. quando diſtingun tur ab ipſis. nam phantaſma eſt ſicut determinans & diſtinguens id. quod eſt in poten tia in ipſo intellectu poſsibili, & ideo hoc accipit a corpore.

SED forte diceret hic aliquis. ſi hæc dicta forent vera. ſequeretur. ipſa phantaſmata forę præſtantiora ipſo intellectu poſsibili.

li. cum phantaſmata ſe habeant reſpectu intellectus poſsibilis per modum agentis & determinantis, ipſe autem intellectus per modum patientis & determinabilis.

Nisi eſſet quod phantaſma non virtute propria tãtum agit & determinat. verum virtute intellectus agentis, qui ſe habet tanquam agens principale ipſum autem phantaſma tanquam inſtrumentum quod phantaſma non eſt abſque phantaſia. quæ eſt virtus organica, & ideo indiget corpore. non vt ſubiecto, ſed vt obiecto. quia oportet. quod ſit corpore vtens. vt ex eo accipiat. obiectũ. quod habeat intelligere. diſtincte, & non indiget corpore, quo habeat per ipſum eſſe. ſicut intelligentia indiget corpore mobili. quo habeat producere ea. quæ ſunt in ea in potẽtia actiua, & non indiget corpore tali. quo habeat per ipſum eſſe in genere cauſę materialis: patet ergo quomodo ipſe intellectus poſsibilis tribuit corpori ſuum lumem, & quomodo recipit ab ipſo corpore. cum primo conuenit intellectus cum intelligentijs. cum ſecundo differt ab ipſis. ex eo quod ipſe intelligẽtiæ nihil recipiunt a ſuis mobilibus. ſed conuenit cum potentijs ſenſitiuis. quæ potius ſe habent in modum recipiendi quam tribuendi: Patet ergo iſte mi

rabilis

rabilis ordo naturæ. quomodo procedat ipſa natura gradatim de vno genere in aliud genus. & patet quomodo ipſe homo ſit quid medium in toto genere entium, ſapiẽs naturam & corruptibilium & incorruptibilium participat enim de vtraq; natura. quæ naturæ adinuicem ſibi miniſtrant. natura corruptibilis præbendo incorruptibili ea. quæ ſunt materialia & corruptibilia. tamen in ea recipiuntur incorruptibiliter inmaterialiter & vniuerſaliter quia vnumquodq; recipitur in eo. in quo recipitur per modũ recipientis & non per modum recepti,& ex iſto modo recipiendi arguitur ipſum intellectum fore in mixtum. eo quod omnia intelligit. fore ſeparabilem. eo quod vniuerſaliter recipit. inpaſsibilem. eo quod tantum eſt ſubiectum receptionis, & nõ tranſmutationis.

ISTA igitur poſitio Auerrois ſic declarata. demonſtratur. quod ſit magis dictis Ariſtotelis conformis. vtrum autem ſit vera. vel ne. meum non eſt hoc iudicare: ſcio. quod contra talem poſitionem multa adducuntur argumenta, & maxime a diuo Thoma. vt patet inquam pluribus locis, & maxime in contra Gentiles, & in libello de vnitate intellectus ab eo edito, & in queſtionibus

nibus diſputatis de anima, & de ſpiritualibus creaturis & in alijs locis. quæ nullius ſunt vigoris contra hanc poſitionem Auerrois, & hoc ſemper ſtando in terminis Ariſ. quas quidẽ rationes nolo nũc in mediũ adducere. ne ſin nimis prolixus quarum ſolutiones patent a diuerſis date tum in ſcriptis. tum in diſputationibus. ſolum intendo adducere nonnulla argumenta a quibuſdam modernis adducta, & ipſa ſoluere.

Qvod autem poſitio hęc ſit magis cõformis & conſona dictis Ariſto. ſic declaratur. Et primo diſcurramus per textus Ariſto. ſecundi de anima, & primo incipiendo a diffinitione ipſius animæ. vniuerſali. quę eſt in textu ſeptimo. vbi dicitur quod anima eſt actus corporis phiſici organici potentia vitam habentis: talis diffinitio debet competere cuilibet contento ſub diffinito. ergo omni animæ, & ſic anime intellectiue in eo quod intellectiua. quia quando diffinitio prædicatur de deffinito vel de partibus contentis ſub diffinito. illa prædicatio eſt in primo modo dicendi per ſe, & tales prædicationes ſunt formales. ergo anima intellectiua in eo quod intellectiua erit actus corporis &c. ergo indigebit corpore vt ſub iecto, & non tantum vt obiecto, quia taliter

ter indiget organo. qualiter eſt ipſius actus. ſed eſt ipſius actus in genere cauſæ formalis conſtituendi ipſum, & ipſum organum in genere cauſæ materialis. ergo talis anima intellectiua vt ſic vtetur organo vt ſubiecto in ſua operatione intellectiua: & nota ꝙ argumentum habet vim propter notam redu plicationis. quia iuxta communem opinio nem anima ipſa intellectiua conſtituitur in eſſe per ſubiectum & vtitur corpore vt ſubiecto pro ſua operatione. quia anima vegetatiua & ſenſitiua. quæ eſt idem. ꝙ intellectiua. vt poſſumus probare in ſyllogiſmo reſolutorio. ſed non in eo. ꝙ intellectiua. quare non poſſum non valde mirari de iſtis. qui volunt ad mentem Ariſt. animam intellectiuam dare eſſe corpori. ſed quod maius eſt. ſunt quidam. qui profitentur ſe Auerroiſtas. & tenent animam intellectiuam eſſe formam ſpecificam hominis & dare eſſe formale ipſi homini. quare ſtando in via Ariſt. & Auerrois non poſſumus tenere. ꝙ ipſa anima intellectiua ſit forma dans eſſe ipſi corpori. quia aliter ſumus coacti tenere. ꝙ anima intellectiua indigeat corpore vt ſubiecto & non tantum vt obiecto. vt deductum fuit. quare tenendum in via Auerrois. ꝙ ipſa ſit tantum aſsiſtens & vnica in ſpe-

cie & incorruptibilis, & indigeat corpore. vt ab eo tantum accipiat obiectum.

Et confirmatur. quia Ariſt.dicit in eodem textu iſtam conditionalem. ſi aliquod eſt commune in omni anima. oportet dicecere. ꝙ ſit actus primus corporis, &c. ex qua conditionali nihil ſequitur. niſi cum poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis. vel cum deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis. ſicut in iſta conditionali. quia ſequitur. ſed anima intellectiua non eſt actus primus, vt probatum eſt de ipſa parte intellectiua. ergo partes animæ non habent aliquod commune vniuocum.

Et fortius probatur. ꝙ hæc opinio ſit opinio Ariſt. nam textu xi. vbi Ariſt. inquit concludendo. ꝙ quidem igitur non ſit anima ſeparabilis a corpore ex eo. ꝙ eſt ipſius actus, & per conſequens non eſt ſeparabilis. quia actus & forma non ſeparantur ab eo. cuius eſt actus: & ſequitur Ariſt. dicens. aut partes quędam ipſius. ſi partibilis apta nata eſt, non in manifeſtum eſt. quarundam enim partium eſt actus ipſarum. at vero ſecundum quaſdam nihil prohibet. vt ſeparentur. propter id. ꝙ nullius corporis ſunt actus. ecce enim. ꝗ clare loquitur Ariſt. vbi vult

vult. ꝙ non eſt in manifeſtum ipſam animam habere quaſdam partes. dixero ſubiectiuas. quæ non ſunt ſeparabiles ab illo. cuius ſunt formæ & actus. vt ſunt vegetatiua & ſenſitiua quia non poſſunt explere ſuas operationes niſi mediante organo: quandam autem partem animę ſeparabilem. vt intellectiua. quia nullius corporis eſt actus. ergo intellectiua non erit actus corporis. ergo non ſibi competet diffinitio animę. ergo iſtud nomen anima non eſt vniuocum commune omnibus animabus: quid clarius in via Ariſt. & iſte textus nullo modo poterit adaptari in via illorum. qui tenent. in via Ariſ. animam ipſam intellectiuam fore mortalem. quomodocunque dicant. ſiue ſimpliciter ſiue ſecundum quid. vt patebit inferius: Procedit deinde Ariſt. ſe declarando. in tex. xxi. vbi dicit. De intellectu autem adhuc nihil manifeſtum eſt. ſed videtur genus alterum animæ eſſe, & hoc ſolum contingere ſeparari: Ex hoc textu duo habemus de mente Ariſt. primum. ꝙ anima non eſt vnum quoddam commune vniuocum ſuis potentijs & partibus ſenſitiuę ſcilicet & vegetatiuę, & potentię intellectiuę: ſecundum. ꝙ anima intellectiua non eſt forma dans eſſe ipſi corpori: ſequitur Ariſt. declarando.

rando.quid nam ſit pars animæ. quę dicitur intellectus,& quomodo eſt pars animę.pars, dixero.ſubiectiua. non. ꝙ ſit vna potentiarũ illius ſubſtantiæ animæ. vt inferius patebit: Et dicit Ariſtot. textu tertio tertij de anima. quoniam oportet ipſam fore inpaſsibilem paſsione. quæ fit cum abiectione contrarij, & in hoc partim conuenit. cum ipſis ſenſibus: & dicit Ariſt.& non eſt hoc,ſcilicet,hęc forma. vel ſpecies in actu. ſed ſolum potentia, & probatur per hoc. quoniam eſt ſuſceptiuus ſpecierum omnium, & ſit poſtea in actu. cum intelligit: Et ſequitur Ariſtot.in textu vi. dicens & iſte intellectus immixtus eſt ideſt non eſt corpus neq; virtus in corpore. quoniam ſi eſt anima in potentia & nulla eſt actu. anteꝗ receperit. ergo nullo modo habet aliquam formam materialem. neq; erit ipſa. & ſi ſic. ergo ſeparabilis a corpore. in quo operatur ipſo remanente.ergo inmortalis abſolute & ſimpliciter, & non ſecundũ quid. vt voluit Ponponatius de mente Ariſ. vt dicemus: iſte ergo tres conditiones ſcilicet inpaſsibilis inmixtus, & ſeparabilis conpetunt intellectui poſsibili. quę etiam conueniunt intellectui agenti. nam Ariſt.poſtꝗ adinuenit intellectum agentem. ipſum comparat poſsibili, & dicit naturam vtriuſque.
ex

ex quo conueniunt in natura ſeu in genere. quia inter agens & patiens debet eſſe aliqua conuenientia & aliqua differentia. conueniunt enim in illis tribus. quia ambo ſunt inpaſsibiles inmixti, & ſeparabiles. differunt tamen in hoc. quia intellectus agens eſt inpaſsibilis inmixtus, & ſeparabilis & ſubſtantia actu ens. vt dicit Ariſt. tertio de anima. textu XVIIII. nam præſtat in hoc poſſibilem. qui eſt ens potentia tantum. anteq̃ adiſcat. quia agens ſemper eſt præſtantius patiente: Et ex hijs ſic declaratis patet in quã to errore ſint illi. qui tenent in via Auerrois & Ariſt. ipſum intellectum agentem fore primam intelligentiam, & deum glorioſum. neſcio enim ſi prima intelligentia excellat tantum ipſum intellectum poſsibilem in iſta proprietate, cum ſit ens actu. cum omnes alie intelligentie in hoc excellant ipſum intellectũ poſsibilem, & ſi eſt aliqua natura cõmunis vtrique intellectui. in qua conueniunt. o q̃ abſurdam & extraneam comparationem feciſſet Ariſt. ſi intellectus agens eſſet deus. vt volunt nonnulli: Et ex hoc ſequitur, ꝙ intellectus poſsibilis nõ ſit forma corporalis. neque virtus in corpore. ergo nõ habebit principium. quo indiuiduetur. ergo erit vnica tã tum in ſpecie, & erit vnum entium mundi

per hoc. ꝙ eſt intellectus. per hoc autem ꝙ
eſt poſsibilis reſpectu omnium. oportet ꝙ
priuetur omnibus formis. quæ in potentia
ſunt in ipſo intellectu: Vide ergo quantum
valeat iſta ratio, & ꝙ non poterit tolerari re
ſponſio. quæ datur a quodam fratre moder
no. ꝙ ſit ille intellectus ſeparabilis formali-
ter, ideſt ſecundum naturam non autem in
re. quia ſic ego dicam de intellectu agente.
quem tu ponis talem in re, ideſt ꝙ realiter
eſt ſeparatus: Vlterius quęro. quomodo in-
tellectus agens poterit fieri forma intelle-
ctus poſsibilis: niſi vterque conuenirent in
aliqua natura cõmuni in omnibus proprie-
tatibus excepta illa. propter quam fiunt vnũ.
quia ſi poſsibilis nõ eſſet ſeparabilis tali ſepa
ratione. qua agens. non fieret vnum. aliter
natura poſsibilis fieret neceſſaria, & ſic natu
ræ transſubſtantiarentur. quod eſt maxi-
mum inconueniens in via Ariſtot. Iſte ergo
ſunt rationes & auctoritates: quæ probant
inmortalitatem animæ, & quæ probant ani
mam ipſam intellectiuam non eſſe formam
ſpecificam dantem eſſe corpori in via Ariſt.
& hoc expreſſe vult ipſe Auerrois.

PONITVR & alia ratio probans ani-
mam ipſam intellectiuam non eſſe formam
ſpecificam, quæ talis eſt. vnumquodq; per
ſuam

ſuam formam ſpecificam menſuratur. quod igitur eſt temporale & corruptibile debet habere menſuram temporalem & corruptibilem. probatur. quia menſura & menſuratum proportionantur x. methap. ſi ergo anima intellectiua eſſet forma ſpecifica hominis, & cum homo ſit temporalis & corruptibilis. ergo etiam & ipſa forma ſpecifica erit temporalis & corruptibilis. ſed per te anima intellectiua eſt forma ſpecifica hominis. ergo anima intellectiua erit temporalis & corruptibilis. conſequens eſt falſum. quia nullum intellectuale. cum ſit in materiale. corrumpi poteſt. ſed anima intellectiua talis eſt. ergo non poteſt corrumpi. ergo non forma ſpecifica.

PROBATVR & eadem concluſio ſic. Ariſt. XII. metha. textu XVII. dicit. ꝙ licet nulla forma ſpecifica præcedat ſuum cauſatum. aliqua tamen forma poteſt ſuum cauſatum precedere. vt anima intellectiua hominis, videtur ergo. ꝙ anima intellectiua non ſit forma ſpecifica hominis. ſic itaque teneo in via Auerrois de mente Ariſt. ꝙ anima ipſa intellectiua non ſit forma ſpecifica hominis. & ꝙ ſit vnica in ſpecie in omnibus hominibus, & per conſequens inmortalis, & teneo. ꝙ iſta via ſit magis ad mentem Ariſto. q̃ alia

tellectus eſſet materialis generabilis & corruptibilis. ſi ſcilicet intellectus non intelligeret niſi cum imaginatione ergo videtur velle Auerroes ex hijs verbis. ꝙ intellectus habeat aliquam operationem omnino independentem a corpore & vt ſubiecto,& vt obiecto. quia per dicta ipſius hic ſi intellectus indigeret corpore vt obiecto,ideſt,ſi intelligeret cum imaginatione. tunc eſſet materialis generabilis & corruptibilis.

Ratione etiam hoc probatur. quoniam intellectus non eſt forma conſtituta in eſſe per ſubiectum. ergo non dependens in eſſe a ſubiecto. ergo neq; in operari: patet ergo in Auerroi ꝙ oportet ponere ipſum intellectum habere aliquam operationem omnino independentem a corpore. quod maxime dictis Ariſt. repugnat. vnde maxime arguitur immortalitas animæ ex proprietate ipſius operis vt dicebat. Ariſt. ſi eſt aliquod operum proprium ipſi intellectui. tunc contingit ipſum a corpore ſeparari,& ex tali opere proprio arguitur eleuatio animæ a corpore, & iſta eſt de propoſitionibus. quæ ab omnibus conceduntur in via Ariſt.

Arguitur modo. ꝙ hoc maxime repugnet dictis Ariſt. ꝙ ſcilicet intellectus habeat aliquam operationem omnino in depẽdentem

dentem a corpore vt ſubiecto, & vt obiecto. nam Ariſ. primo de anima. textu XII. inquit. ipſum intelligere aut eſt phantaſia. aut non ſine phantaſia, ergo ipſum intelligere non abſoluitur omnino a corpore. ergo ipſe intellectus nullam penitus operationē habet omnino independentem a corpore. quia ſi aliquam haberet. eſſet ipſum intelligere. ꝙ autem intelligere non ſit independens. patet per Ariſt. tertio de anima textu XXXIX. vbi clariſsime loquitur Ariſt. & non conditionaliter. ꝙ non erit intelligere abſq; phantaſmate.

QVOD etiam experimento comprobatur. quia vnuſquiſque reperitur in ſemetipſo. dum intelligit. ſpeculari aliquod phantaſma. in quo ipſa natura vniuerſalis habet eſſe. ſicut in fundamento. ſi ergo ita eſt. ergo quęlibet operatio ipſius animæ erit communicans corpori. vel cōmunicans communicanti corpori ſcilicet phantaſiæ. quę corpori communicat, & ſic nulla erit operatio ipſius intellectus. quæ non dependeat a corpore. quod eſt oppoſitum conceſsi.

HVIC pro ſuſtentatione opinionis Auerrois poſſet dici. ꝙ aliud eſt in acquiri, & aliud eſt in acquiſito eſſe: in acquiri bene verum eſt. ꝙ ſemper ad intelligendum indige-

mus

mus phantaſmate ſed non in acquiſito eſſe: & ſic patet. ꝙ tale intelligere ſit abſolutum a corpore. quando ſcilicet in nobis eſt intellectus formalis. tunc per ipſum intelligimus abſque phantaſmate.

DICVNT iſti contrarię opinionis. ꝙ hęc reſponſio nulla eſt. quia diffinitio ipſius animæ communis eſt actus corporis phiſici organici. cum itaque ſecundum eſſe intellectus ſit actus corporis organici. ergo & in omni ſuo opere ab organo dependebit aut tanq̃ ſubiecto. aut tanq̃ obiecto. nunq̃ ergo totaliter abſoluetur ab organo.

PRAETEREA videtur ſuperfluum & fere incredibile. ꝙ vnum numero habeat fere infinitas operationes reſpectu eiuſdem obiecti ſimul. hoc autem ſequitur ſecundum poſitionem iſtã Auerrois. quia ille intellectus intellectione æterna intelligit deum, & intellectione noua tot habet intellectiones reſpectu dei. quot homines deum intelligunt. hoc autem videtur eſſe purum figmentum, vt ex multis apparere poteſt, & nihil aliud probat iſta ratio.

SECVNDO principaliter arguunt iſti contra Auerrorem & ſic. iſtud tuum figmentum. quod tu ponis o Auerroes de intellectu. cum ſit maxime dubium, ex eo ꝙ ſunt multe

multe opiniones circa hoc, & ideo oportet. ꝗ per aliquod ſignum & per aliquam euidẽtiam fiat certum. modo ad inſeparabilitatem concludendam ſecundum Ariſtot. ſufficit, ꝗ ſit vel virtus organica. vel ſi non, ſaltem ꝗ ſine obiecto corporali non poſsit intellectus exire in opus: modo ſic. Ariſtot. primo de anima textu x i i. dicit ſiue intellectus ſit phantaſia. vel non ſine phantaſia. non contingit vtiq; neque hoc ſine corpore eſſe: cum autem ſeparabilitas inſeparabilitati opponatur, & cum diſiunctiua affirmatiua contradicat copulatiue facte de partibus oppoſitis: ſi igitur ad inſeparabilitatem ſufficit alternatiue. vel eſſe in organo tanq̃ in ſubiecto. vel ab ipſo dependere tanq̃ ab obiecto. igitur ad ſeparabilitatem coniunctim requiritur. neque dependere ab organo tanq̃ a ſubiecto. neque tanq̃ ab obiecto in aliquo ſui opere: quomodo ergo Auerroes ſaluabit ſuam opinionem: & iſtud argumentum fundatum ſuper iſta auctoritate. Ariſt. ille frater Modernus reputat achilles. quo omni modo vult concludere ipſam animam intellectiuam fore mortalem ſecundum principia Ariſtotelica: Verum eſt. ꝗ iſtud argumentum habet aliquantam vim contra illos. qui ponunt ad mentem Ariſt. animam fore in mortalem &

multi-

multiplicatam ad multiplicationem corporum. in via autem Auerrois nullius efficacie penitus eſt. vt patebit inferius. cum huic argumento reſpondebimus.

Confirmatur & hoc per alium contextum tertij de anima textu xxxix. vbi dicitur. neceſſe eſt intelligentem phantaſma aliquod ſpeculari. vt quilibet in ſeipſo experitur. neque ratio Ariſt. tertio de anima textu iii. qua probat ipſum eſſe in materialem. ex eo ꝙ eſt receptiuus omnium ſpecierum materialium. ꝙ ſit ſeparabilis. ex quo poſtea concluditur euidenter. ꝙ habeat operationem independentem. eſt ſufficiens. quia ratio illa Ariſt. ſupponit. dicit iſte frater. ꝙ intellectus moueatur a corpore. cum dicat intelligere eſt ſicut ſentire, & intellectum poſsibilem eſſe virtutem paſsiuam. deinde dicit. ꝙ ſuum motiuum eſt phantaſma. ſed quod indiget phantaſmate eſt inſeparabile à corpore per dicta. ergo illa ratio magis probat oppoſitum ꝗ propoſitum.

Et quoniam poſſet dicere Auerroiſta rationi nunc facte. ꝙ ipſe intellectus eſt immaterialis. ex eo. ꝙ non indiget corpore vt ſubiecto.

Contra dicet ille reuerendus Magiſter. aut ille ambe cōditiones requiruntur ad conclu-

concludendum ſeperabilitatem. aut vna ſola. ſi ambe argumentum factum militat contra Auerroem. ſi vna ſola. deſtruitur iudicium Ariſ. cum ipſe ponat ambas requiſitas.

Diceret Auerroiſta. ꝙ ſolum iſta conditio ſcilicet non indigere corpore vt ſubiecto inferet ipſam animam fore in materialem abſolute, & econuerſo. non tamen ex hoc arguitur. ꝙ ſi eſt in materialis. ꝙ habeat aliquam operationem omnino independentem, & forte in hac via hoc conceditur.

Sed contra hoc inſtat doctor. quoniam quelibet forma in materialis quę non conſtituitur in eſſe per ſubiectum. ex quo per ipſum non habet eſſe, & per conſequens per ipſum non habebit operari, & cũ neceſſe ſit. ꝙ habeat aliquam operationem. aliter eſſet fruſtra. ergo illam independentem habebit.

Et quia forte Auerroiſta poſſet dicere & exiſtimare. ꝙ ſi intellectus habeat aliquã operationem independentem. ab obiecto habeat aliquam dependentem omnem habeat dependentem ideo Ariſt. appoſuit illud verbum. ſi intelligere non eſſet ſine phantaſia. ſic ꝙ in omni operatione phantaſia indigeret. indubitanter eſſet inſeparabilis.

Contra hoc inſtat reuerendus pater tali argumento. quo intendit probare. ꝙ talis

lis virtus ſit organica, & argumentum ſtat in hoc. quia. Ariſto. vtitur iſta conditionali diſiunctiue cum duabus partibus. ꝙ intellectus aut eſt phantaſia. aut non eſt ſine phantaſia. Auerroes poſſet dicere. ꝙ intellectus non eſt phantaſia, & per conſequens eſt in materialis. hoc ſufficit mihi. tamen indiget in ſua operatione ſemper phantaſmate & ex eo non abſoluitur a ſecunda conditione. dicit ergo iſte doctor ex eo ꝙ intellectus non abſoluitur a ſecunda cõditione. propter hoc non reſtat. ꝙ ipſe non ſit in materialis. ergo ſuperflue poſita eſt illa ſecunda conditio quod quidem nullo modo attribuendum eſt tanto philoſopho.

CONFIRMATVR. quia ſi ex eo ꝙ in omni ſua operatione indiget phãtaſmate infertur. ꝙ ſit inſeparabilis. ergo ex hoc. ꝙ ſit organicus. dico autem organicum ſubiectiue. quia iſta conuertuntur organicum ſubiectiue, & virtus materialis cognoſcitiua: ſimiliter non organicum ſubiectiue & in materiale ſecũdum poſitionem. dicere ergo indigere corpore ſemper tanꝗ obiecto. eſt indigere tanꝗ ſubiecto. & ſic nihil dicitur ab Ariſt. cum dixit iſtam ſecundam particulam diſiunctiue, aut non eſt ſine phantaſia immo potius eſt nugatio.

TER-

Tertio principaliter arguitur contra hanc poſitionem Auerrois, & ſic. quando aliquod habet duas cauſas veritatis vna ablata altera remanēte illud tale remanet, vt notum eſt. cum ad veritatem diſiunctiue ſufficiat vnam partē eſſe verā. ſed ad hoc. ꝙ intellectus ſit inſeparabilis a corpore. requiritur. aut ꝙ ſit phātaſia. aut ꝙ ſit nō ſine phantaſia. remoto igitur. ꝙ intellectus non ſit phantaſia propter hoc non remouetur. ꝙ ſit inſeparabilis propter iſtam particulam. quia intellectus non eſt ſine phantaſia. quod eſt falſum, cum iſta poſitio Auerrois teneat. ꝙ ſi non ſit phantaſia. ꝙ ſit inmaterialis.

Qvarto arguitur ad idem ſic. quando alicui rei duo modi aſsignātur ſub diſiunctione. res illa ab altero illorum poteſt ſeparari indifferenter. aut ſaltem ab vno illorum ipſa remanēte. ſed ad inſeparabilitatem animę ſufficit ipſam eſſe phantaſiam. vel non eſſe ſine phantaſia. vel igitur ſtat ipſam eſſe inſeparabilem ſine altera earum indifferenter. vel ſaltem determinate. ſi dicas primum. ergo ſtabit. ꝙ intellectus non ſit ſine phantaſmate, & tamen. ꝙ non ſit phantaſia, & ꝙ ſemper indigeat corpore tanq̄ obiecto & non tanq̄ ſubiecto. quod eſt contra iſtam poſitionem: ſi vero dicatur ſecundum ſcilicet determi-

determinate, & non indifferenter.cum fieri nequeat. vt aliquod indigeat corpore tanq̃ ſubiecto & non tanq̃ abiecto, ergo ſtabit.ꝙ intellectus indigebit corpore tanq̃ obiecto & non tanq̃ ſubiecto. ergo idem. quod prius.

QVINTO arguitur. ad idem ſic. tu tenes o Auerroes ꝙ intellectus habeat aliquã operationem omnino independẽtem a corpore.cum iſtud ſit dubium.tale per aliquod ſignum habet certificari,& non eſt aliud fingere per quod certificari poſsit. niſi, quia ipſe in materialis eſt: verum cum iſtud non ſit minus ignotum.q̃ primum.ęget demonſtratione: quæritur ergo de modo illo, aut eſt. quia ſimul neque dependet a corpore tanq̃ ſubiecto & obiecto. vel quia ſolum non dependet a corpore tanq̃ ſubiecto: primum dari non poteſt. tum quia ſic eſſet petitio principij. cum intendentes probare intellectum in aliquo ſui opere non dependere a corpore aſſumimus.quia ipſe eſt inmaterialis, & probantes ipſum eſſe inmaterialem. accipimus.quia in aliquo ſui opere nõ dependet a corpore. tum quia nullum eſt tale medium. in quo non ſumatur ipſum intellectum non dependere a corpore tanq̃ ab obiecto: Demonſtratio autem prima. qua

D vtitur

vtitur Ariſt.tertio de anima.ad probandum intellectum eſſe inmaterialem, eſt.quia recipit omnes formas materiales, & cum ipſum recipere conſiſtat in quodam pati. ergo intellectus mouebitur a re corporali, & ſic indigebit corpore tanquam obiecto: Secunda autem Demonſtratio eſt talis ſpecies intelligibilis recipitur in intellectu poſſibili, ergo ſtat in quodam pati. oportet ergo accipere alterũ membrum. ſ. medium. ſ. quia intellectus non indiget corpore tanq̃ ſubiecto. verum tanq̃ obiecto, & ſi ſic. requiritur ergo ad concludendum inſeparabilitatem intellectus altera illarum conditionum, & ad concludendum ſeparabilitatem oppoſitam inſeparabilitati. requiritur vna copulatiua facta de partibus oppoſitis illius diſiunctiue. vt ſcilicet neque indigeat corpore vt ſubiecto: neque vt obiecto .ſaltem in aliquo ſui opere. quod eſt contra conceſſa.

SEXTO principaliter arguitur ſic. ad inmaterialitatem præter non indigentiam corporis vt ſubiecti.aut neceſſe eſt vltra hoc non indigere in aliquo ſui opere determinato corpore tanq̃ obiecto, aut illud non neceſſe eſt: dari non poteſt hoc ſecundum per conceſſa, quoniam non indigere corpore

tanq̃

tanq̃ ſubiecto,& in aliquo determinato ope re non indigere corpore tanq̃ obiecto. con uertuntur. quare poſito vno ponitur & reliqum. reſtat igitur. vt in materialitas vtrũque exigat copulatiue. quare cum materialitas ipſi inmaterialitati opponatur, ad ipſam materialitatem ſufficit indigere corpore tanq̃ ſubiecto. vel corpore tanq̃ obiecto. vel igitur iſta ſunt ſeparabilia, & ſic nõ con uertuntur. quod eſt contra conceſſa: vel inſeparabilia ſunt, & ſic non erunt aſsignanda ſub diſiunctione. quod eſt contra Ariſt. quia quod diſiunctione enũciatur alternatiue verificatur, & non copulatiue: quare teſte Ariſt. x. metaph. textu. XVII. & Auerroes tertio cæli commento. LVI. & Boetio in libro de ſyllogiſmo hippotethico interrogatio & diſiunctiua vana eſt, & ridicula. in qua omnes partes verificantur, & vltra tunc copulatiue affirmatiue contradicet copulatiua facta de partibus oppoſitis, & non diſiunctiua. quod manifeſte falſum eſt.

Septimo arguitur ab auctoritate negatiue. nam mirum eſt. ꝙ Ariſt. nunq̃ dixerit ipſum intellectum poſsibilem aliquando intelligere abſque phantaſmate cum in omnibus ſuis locis dicat oppoſitum. quare verum non eſt. ꝙ iſta poſitio Auerrois ſit

D 2 magis

magis conformis dictis. Ariſt. q̄ quæcunq; alia poſitio. cum nullibi reperiatur dictum ab Ariſt. ꝙ intellectus poſsibilis aliquando intelligat abſque phantaſmate.

OCTAVO & vltimo arguitur ſic. quia ſecundum ipſum Auerroem oportet ponere felicitatem noſtram in copulatione intellectus agentis cum poſsibili. vt ipſe inquit tertio de anima commento XXXVI. ſed hoc eſt falſum & vanū in ſe, & etiam ipſi. Ariſto. diſſonum. ꝙ autem ſit falſum. arguit doctor ſic negatiue, nam vſque ad tempora noſtra nullus talis inuentus eſt. vt tradunt hiſtoriæ & ſic finis hominis fruſtraretur. cum ipſe a nullis ſit obtentus. neque attingi poſſit. quia nullus homo eſt. qui poſsit ſcire omnia. teſte Platone x. de republica. neq; ſpeculabilia. quia hucuſq; nulla ſcientia habita eſt perfecte.

ET ꝙ etiam hoc ſit alienum. ab Ariſto. patet. quoniam ipſe x. Ethicorum vbi tractat de vltimo fine hominis in eo ꝙ homo. ponit ipſum in habitu ſapientiali: Quare propter hæc argumenta & multa alia. quę a Diuo Tho. fiūt & a Cardinali Gaetano & a q̄pluribus alijs oportet dicere talem poſitionem. quam dicis eſſe Auerrois. eſſe vanam & præcipue in via. Ariſto. maxime cum dicat

cat ipſe Ariſtot. ſecundo phyſicorum textu xxvi. vbi de anima humana mentionem ſacit. dicit eam eſſe multiplicatam. dicit enim vbi ſic. vſq; quo cuius. n. cauſa vnũquodque & circa hæc. quę ſunt ſeparate ſpecies in materia. homo enim hominem generat ex materia & ſol: Vnde manifeſtum eſt. ꝙ Ariſto. non poſuit ſolũ vnam animam. ſed multas.

PRAETEREA etiam de illa copulatione nihil vnq̃ dixit Ariſt. & ſic ſecundum ſanctum Thomam & quamplures alios videtur. ꝙ hæc opinio ſit purum figmentum. quia tamen opinio hec noſtra ætate multũ viget. ideo ad omnia illa argumenta facta contra Auerroem. reſpondebimus, & oſtendemus nullius fore valoris.

Solutio ad argumenta contra Auerroem.

AD primum igitur argumentum primo ſic reſpondetur. ꝙ illa auctoritas. Ariſt. primo de anima nihil concludit. in via Auerrois. immo facit pro ipſo. licet in via latinorum multum probet illa auctoritas. ſi intelligere aut eſt phantaſia. aut non eſt ſine phantaſia non contingit vtique neque hoc ſine corpore eſſe. non tamen propter hoc ſequitur animam mortalem eſſe: quod in-

tẽdit probare.vnde ſi anima haberet vnum corpus incorruptibile. quo vteretur vt inſtrumento, vt intelligentia cęlo. cui ſemper communicaret ſuam propriam operationem nunq̃ ſepararetur ab ipſo corpore talis anima, & tamen eſſet inmortalis, & ideo iſta conſequentia non valet anima eſt inſeparabilis a corpore. ergo mortalis. natura tamen vniuerſalis. cum non potuit ipſi animæ conſtituere vnum inſtrumentum perpetuum, quo perpetuo tempore poſſet vti. dico. vnum. vnitate numerali, conſtituit ei vnum vnitate ſpecifica. quod quidem tempore perpetuo habebit durare iuxta illud ſecundi de anima. natura. n. miſerta eſt humano generi. cum non potuit ei facere vnum indiuiduum æterno tempore duraturum. in quo natura humana haberet conſeruari. dedit ſibi potentiam generatiuam. qua conſeruaretur in ſpecie. Ad formam ergo argumenti dico. ꝙ ipſum intelli gere non eſt ſine phantaſia. ergo. non ſeparabilis a corpore. concedo. ergo. mortalis. nego.dicimus enim in hac via Auerrois. Intellectum poſsibilem ſemper coniunctum alicui corpori. nulli tamen corpori ſemper eſſe coniunctum. vide ergo quantum iſta ratio.quam reputãt eſſe Achilles.habeat vim,

immo

immo facit magis pro ipſo Auerroe, vt liquide patet intelligenti, & hoc forte eſt illud. quod doctor dicit. ꝙ noſtrum intelligere. quod eſt intelligere humanum non eſt ſine phantaſia. tamen intelligere abſolute eſt ſine phantaſia. quod eſt intelligere antiqum. quod non aliter ego intelligo. niſi ꝙ intelligere iſtud. quod aquiritur in ſorte de nouo. ipſo deſinente eſſe in ſorte per deſitionem ſortis. remanet iſtud intelligere. in intellectu, & erit ſibi proprium reſpectu ſortis a quo ſeparatur.

DATVR & alia reſponſio ad hoc primum argumentum. pro quo notandum. ꝙ Ariſt. in textu XIII. primi de anima dicit. ꝙ ſi aliquid eſt animæ proprium operum aut paſsionum. continget vtiq; ipſam ſeparari. ſi vero nullum eſt proprium. non erit vtique ſeparabilis. vbi videtur velle Ariſto. ꝙ ſit ſeparabilis ex operatione propria. propter hoc dicendum. ꝙ proprium eſt illud quod ſemper retinet quocunq; deſinente. ſicut intelligere eſt proprium ipſius intellectus poſsibilis. quod ſemper retinet quocunq; deſinente cui communicatur, & ſic dicimus ipſum intellectum poſsibilem retinere ipſum intelligere reſpectu cuiuſcunq; indiuidui. a quo ſeparatur. ipſo tamen

men remanente, & communicante ipſum alteri indiuiduo, & ſic dicimus ipſum intellectum fore ſeparabilem. ita ꝙ poteſt ſeparari ab omni indiuiduo, & ſeparabitur, nunquam tamen ſimul erit ſeparatus, & iſta ſecunda reſponſio fere coincidit cum prima.

Ad replicam. quam faciebat aduerſarius reſponſioni pro ſuſtentatione opinionis Auerrois, cum dicebatur diffinitio animę communis, eſt actus corporis phiſici organici: dicimus ad hoc. & dictum fuit ſupra in corpore queſtionis. ꝙ iſta diffinitio non eſt vniuoca omni animæ, & ibi demonſtratum eſt, & maxime per ipſum in proceſſu ſecundi de anima. vbi dicit. ꝙ eſt aliud genus animæ, & eſt textus commenti x x i. vbi inquit Ariſt. de intellectu autem & potentia perſpectiua &c. ibi Ariſt. intelligit de vtroque intellectu & hoc etiam videtur velle Auer. in cõmen. dicit. n. i. intellectus autem in actu, & virtus, quæ perficitur per intellectũ in actu. ecce q̃ clare vult Auer. ꝙ Ariſto. per potentiam perſpectiuam intelligat intellectum agẽtem. qui ſemper eſt in actu, per intellectum autem intelligat intellectũ poſsibilem qui perficitur per intellectum agentem. ergo non poterit gloſari ille textus

tus ab illo doctore moderno. ꝙ ſolum Ariſ. loquatur & intelligat de intellectu agente, & licet ibi Ariſt. dicat ꝙ adhuc nihil manifeſtum eſt, ſcilicet. quoad eius diffinitioné quiditatiuam, & hoc inferius declarabitur: Et notãdum pro maiori declaratione iſtius reſponſionis. ꝙ Ariſt. primo de anima. vſus eſt iſta propoſitione. ſi intelligere noſtrum. vt principaliter redargueret opinioné Platonis. ſicut ſemper fuit eius mos. qui volebat animam noſtram a principio concreatã eſſe cum omnibus ſpeciebus intelligibilibus, & ex conſequenti noſtrum ſcire erat tantum reminiſsi, & ideo Ariſt. dicit intellectum noſtrum fore phantaſiam. aut non fore ſine phantaſia. in qua ſit ipſum phantaſma multiplicans ſpeciem ſuam in anima de nouo, & ſic cauſatur ſcientia de nouo reſpectu cuiuſcunq; indiuidui, & ideo ex iſta propoſitione. Ariſt. non tantum intendit probare ꝙ anima ſit mortalis vel inmortalis, ſeparabilis vel inſeparabilis. licet ad hoc ſequatur. quia dicit propter hoc non contingit ipſam ſeparari, & propter hoc iſta propoſitio non eſt ſic abſolute intelligenda, vt verba ſonant, vt patebit inferius.

Et ex iſta reſponſione ſoluitur illa replica. ꝙ ita eſt de anima. ſicut de intelligentijs.

tijs, dico.ꝙ eſt in aliquibus ſimilitudo.quia ſicut anima ipſa non eſt actus corporis, a fortiori ipſe intelligentie nõ actuant ipſum corpus mobile: Et dico..ꝙ ipſe intelligentie conſiderantur a primo philoſopho qui ditatiue, a naturali autem quantum ad id. quod ſunt. anima autem ipſa humana conſideratur a naturali quo ad id. quod eſt, & quiditatiue. quoniam ipſa eſt mouens & mota,quia mouetur a phantaſmate recipien do ſpeciem intelligibilem, vt ſuperius fuit declaratum: De intellectu autem agente ex quo tantum mouet & non mouetur. forte quod quid eſt pertinet ad metaphiſicum, & hoc eſt illud. quod dicit Ariſtot.in libro de partibus animalium capite primo. non ſpectare ad naturalem conſiderare de intellectu. cum ſit mouens non motus. licet quo ad id. quod eſt. ad naturalem ſpectet vt patet tertio de anima. quia ibi ab Ariſt.ad inuentus eſt intellectus agens ex natura ipſius poſsibilis. fecit autem tractationem de ipſo Ariſt.XII. methaph.quando tractauit de intelligentijs. hoc non fecit, niſi quia ſolum ibi loqutus eſt de illis.quę habebãtur tot in numero. quot erant mobilia, & quia ſatis manifeſtauit uaturam ſuam ſaltẽ quoad aliquas proprietates. quæ reperiebantur in ipſo intel-

ſo intellectu poſsibili, & fere quodammodo erant vnius naturæ generice, & quia intellectus agens eſt medius inter intelligentias & ipſum intellectum poſsibilẽ, & ideo cõſideratio ipſius habebitur perfecta ex cõſideratione iſtarum duarum intelligentiarum, & ideo partim ad naturalem, & partim ad methaphiſicum ſpectat talis conſideratio intellectus agentis. Et quoniam maiorem vnitatem habet intellectus agens cum poſsibili. q̃ intelligentie cum ſuis orbibus. quia vterq; eſt in materialis, & intellectus agens comunicat intellectui poſsibili ſuum lumen intellectuale, & eſt vnum cum ipſo, vt patet de intellectu adepto & formali, & communicat ei ſuam primam operationẽ. quæ eſt intelligere, non eſt autem ſic de intelligentijs. tantum motum communicant ſuis mobilibus, & ideo de ipſis non ita tractatur a philoſopho naturali. ſicut fit de ipſo intellectu agente, & ſic patet quid dicendum.

AD aliud. cum dicebatur, ſequeretur.ꝙ vnum & idem numero quod eſt intellectus per te o Auerroes haberet fere infinitas operationes. reſpectu eiuſdem obiecti ſimul: Dico ad hoc non fore inconueniens. quando iſtud obiectum eſt repreſentatum per di

uerſa

uerſa phantaſmata numero, ſicut columna ſit dextra mille hominibus, & eadẽ albedo in ſorte ſit ſimilis mille albedinibus, & habeat ad ipſas mille reſpectus, ita ꝙ iſte intellectiones noue nõ numerãtur per id. per qđ ſunt in intellectu. ſed per id. ad quod terminãtur ad mille phantaſmata, & ſic ſunt mille intellectiones & deſinente vno phantaſmate. deſinit eſſe intellectio talis. non tamen deſinit eſſe intellectio ſicut deſinit eſſe ſortes albus. non tamen deſinit eſſe ſortes, & ſic patet reſponſio ad hoc.

Ad ſecundum principale patet reſponſio fere ex reſponſione ad primum argumẽtum. cum igitur dicebatur per quod ſignũ, & per quam euidentiam fiet nobis certum. ꝙ intellectus ſit vnus. cum de hoc ſint varie opiniones. dicitur primo. ꝙ iſtud erit euidens ſignum ꝙ per ipſum homo intelligit naturas & quiditates rerum abſtractas ab hic & nunc, & vniuerſaliter, ergo per potentiam abſtractam ab organo & non coarctatam per materiam quantam neq; indiuiduatam, ergo vna. quia remota materia quãta a ſuis formis eiuſdẽ ſpeciei ſit vna tantũ, iſtud erit euidens ſignũ in via Auer. intellectum eſſe vnicum in omnibushominibus

Respondeatvr modo ad illud. quod

quod adducit Aduerſarius probando oppoſitum, quia ad hoc ꝙ intellectus ſit inſeparabilis requiritur alternatiue vna iſtarum conditionum, aut. ꝙ ſit phantaſia. aut non ſine phantaſia. ergo ad hoc, ꝙ ſit ſeparabilis requiritur copulatiua facta de partibus oppoſitis. ſ. ꝙ non ſit phantaſia, & ꝙ ſit ſine phantaſia.

DICTVM fuit ſupra duobus modis vno modo. ꝙ ipſa anima intellectiua ſiue intellectus nunq̃ ſeparatur a corpore, ex quo ſemper alicui corpori eſt coniuncta. ergo mortalis. materialis plurificata ad plurificationem corporum. quod eſt. illud. quod intendit aduerſarius probare. iam reſponſum fuit ſupra negando hanc ſequellam, & ideo ex hoc omnes ſuę probationes ruunt.

ALIO modo poteſt dici, vt dictum fuit ſupra. ꝙ a quolibet corpore eſt ſeparabilis ipſa anima remanēte, & hoc ſufficit. adhoc ꝙ anima ſit inmortalis. non tamen actu ſeparatur ab omni corpore. ſi tamen recte vellemus ponderare primā & ſecundā propoſitiones ipſa ſecunda propoſitio patietur aliquam inſtantiam. quia in iſta ſecunda propoſitione aut non eſt ſine phantaſia. lī phantaſia ſtat confuſe diſtributiue, & vult dicere. ꝙ ipſa anima intellectiua ſit priuata omni

ta omni phantaſia.quod eſt falſum & ſic patet. ꝙ ille reſponſiones ruunt. tamen intelligende ſunt ad bonum ſenſum. ꝙ. ſ. ipſa anima intellectiua ex eo ꝙ non eſt virtus organica, ex eo ꝙ eſt eleuata ſupra materiam eſt inmortalis, & hoc eſt ex parte ipſius eſſentie & potentie, ex eo poſtea. ꝙ non ſit ſine phantaſia, potius ſe tenet ex parte operationis. quę conſequitur ex ipſa potentia, & ideo ablato poſteriori non aufertur prius in conſequentia formali, licet,in conſequẽtia materiali poſsit eſſe. ipſe ergo intellectus duo mihi dicit, vt dictum fuit ſupra. vnum, quod eſt intellectus, & ſic eſt vnum entium mundi, & vt ſic eſt forma, quæ ſic dicta eſt poſsibilis per excluſionẽ omnium formarum actu, & per incluſionem omniũ in potentia. quia eſt potens omnes illas fieri, & vt ſic habet reſpectum ad ipſa phantaſmata.quæ poſſunt multiplicari in ipſa phantaſia cuiuslibet indiuidui,& ideo a qualibet phantaſia poterit ſeparari, & ſeparabitur, & ſic erit ſine phantaſia cuiuslibet indiuidui.a quo ſeparabitur.referendo ſingula ſingulis ipſa remanente. cum hoc tamen ſtat, ꝙ ipſa anima erit ſemper coniuncta alicui phantaſie, & ſic patet. quid dicendum ſit: Omnia autem. quę poſtea aduerſarij probant.

bant ꝙ ſit inſeparabilis. nihil probant. contra poſitionem iſtam Auerrois, vt patet per ſuperius dicta, & iuxta ſupra dicta ſaluatur optime illa propoſitio tertij de anima oportet intelligentem phantaſma aliquod ſpeculari, & ſic dicimus ipſum intellectum vnicum exiſtentem habere aliquam operationem independentem ab illo & ab illo indiuiduo & ſic dicitur eſſe inmortalis,& habere aliquam operationem dependentem pro quanto neceſſario ſit iſta operatio phantaſia exiſtente, & ſic habetur ipſam animam eſſe mediũ in orizonte eternitatis & temporis. quia ad ipſam operationem coniungitur tempori & loco, quo vero ad ipſam potentiam & eſſentiam abſtrahitur a loco & tẽpore,& ſic ſimpliciter iſte intellectus eſt im mortalis. ſecundum autem quid mortalis.

Ad confirmationem & ad replicas illas. quando dicebat aduerſarius, videtur ergo. ꝙ intellectus ſit ſimpliciter inmaterialis ex eo ꝙ eſt virtus non organica. ergo dicebat ille. altera pars diſiunctiue. Ariſt. ſ. non ſine phantaſia, eſt ſuperflua, cum illa ſola prima conditio ſufficiat ad probandum inmortalitatem animæ: Dicitur ad hoc. ꝙ verum eſt. ꝙ illa prima conditio ſufficit. illa tamen ſecunda particula non eſt ſuperflua, & maxime

maxime in probando ipſam eſſe inmortalem: dat etiam illa particula modū eius operandi, & annexionem ipſius animæ ad ipſum phantaſiam. a qua recipit ſpecies intelligibiles mediantibus phantaſmatibus: & etiam ex hoc redarguit opinionem Platonis, & eſt quaſi reſponſio ad vnam tacitam obiectionem. quaſi dicat Ariſt. non credas propter hoc. o Plato, & ſi intelligere non ſit phantaſia, ꝙ anima noſtra ſit creata cum omnibus ſpeciebus, & ꝙ noſtrum ſcire ſit tantum reminiſci. quia animaindiget phantaſia. vt ex ipſa recipiat ſpecies, & ſic totus ille proceſſus ruit, & ſic non deſtruitur iudicium Ariſt.ponendo illam diſiunctiuam, & non valet ſecundum primam reſponſionem, vt dictum eſt, eſt inſeparabilis. ergo organicus, quia dicit ꝙ ſequitur ex poſitione Auerrois. quod minime concedendum eſt. quoniam ſequitur bene, hoc eſt mortale. ergo organicum. nam ad mortale eſſe ſequitur organicum, tamen ad inſeparabile non ſequitur organicum. cum ad inſeparabile non ſequatur mortale,& non ſequitur. ꝙ indigere corpore tanq̃ obiecto ſit indigere corpore tanq̃ ſubiecto.

Ad tertium argumentum principale de duabus cauſis veritatis patet reſponſio per

ſuperius annotata. ꝙ non ſunt duæ cauſæ veritatis. immo vna, quæ tamen declaratur per ſecundam, vt patuit ſupra.

Possumus etiam dicere. ꝙ iſte ſunt due cauſæ inſeparabilitatis. dummodo vna illarum remaneat. nunq̃ ſeparatur ab omni corpore ſimul & ſemel. quia oportet ꝙ ſemper ſit coniunctus corpori ratione phantaſie ergo eſt mortalis, negatur conſequentia, vt ſupra expoſitum fuit, & dicimus. ꝙ iſta conuertuntur, organicum ſubiectiue, ergo materiale, & eius oppoſitum etiam eſt verum, non organicum ſubiectiue. ergo in materiale, & iſte omnes fere reſponſiones reducuntur ad primam, iſta tamen argumenta habent maiorem vim cõtra poſitionem Diui Thomę, & modernorum, vt inferius magis patebit.

Ad quartum argumentum. cum diceba tur. quando duo modi ſub diſiunctione alicui rei aſsignantur &c. Dico ſimili modo, ꝙ iſti duo modi non aſsignãtur ad probandum animam fore materialem, quia vnus tantum ſufficit, ꝙ ſcilicet ſit phantaſia bene tamen iſti duo modi aſsignantur ad probãdum inſeparabilitatem ab omni corpore ſimul & ſemel, & ideo ſufficit alter eorum, ex quo poſiti ſunt ſub diſiunctione. Et no-

ta, ꝙ non probat, ꝙ non ſit ſeparabilis a quo libet corpore. immo a quolibet corpore ſeparatur, quia ab hoc ſeparatur demonſtrato Platone, & ab hoc demonſtrato ſorte, & ſic de ſingulis, ergo a quolibet corpore ſeparatur, & hoc eſt. quod Ariſt. dicit ſecundo de anima textu x x i. ſeparatur hoc ab hoc, ideſt, hæc anima demonſtrata ab hoc corpore demonſtrato, & non dicit a corpore. quia ly corpore ſtat confuſe diſtributiue, ratione de ly ſeparatur quod in virtute habet negationem. Ad formam ergo argumenti dico. ꝙ ad hoc ꝙ ſit inſeparabilis indifferenter exigit alterum illorum, & non tantum vnum illorum determinate, bene verũ eſt, ꝙ ad hoc, ꝙ ſit inmaterialis vnum tantum illorum ſufficit, ſcilicet ꝙ non ſit organica ſubiectiue.

Ad quintum argumentum reſpondetur ferè per idem. & nihil probat contra mentem Auerrois. & ſolum ſufficit iſtud medium ad probandum inmaterialitatem & immortalitatem. ꝙ non ſit virtus organica ſubiectiuę, & hoc ſe tenet ex parte eſſentiæ ipſius intellectus. indiget tamen intellectus virtutę organica obiectiuę & hoc ſe tenet ex parte operationis. Quod eſt quid ſibi poſterius aduenienſ ſaltem poſterioritate naturæ,

turæ.& ſi non poſterioritate tēporis.& hoc arguit inſeparabilitatē a corpore modo ſuperius expoſito.

Ad ſextum argumentum dico. ꝙ ad probandum ipſam in materialitatem animæ. ꝙ præter non indigentiam corporis ut ſubiecti. non eſt neceſſe ultra hoc non indigere in aliquo ſui opere determinato corpore tanquam obiecto. licet vt dictum fuit. ad eius ſeparabilitatem hoc ſit neceſſe. & negatum eſt. ꝙ iſta conuertantur. non indigere corpore tanquam ſubiecto. & in aliquo determinato opere non indigere corpore tā quam obiecto.quia poſsibile eſt.ꝙ primum ſtet cum oppoſito ſecunde partis. Et ex hoc ſequitur. ꝙ ipſa immaterialitas vtrūque exigat copulatiua.& dicimus.ꝙ ſolum ad probandum ipſam immaterialitatem ſufficit.& neceſſario requiritur. Sola iſta particula.ſ. non indigere corpore vt ſubiecto. altera vero particula ſolum concurrit ad probādum inſeparabilitatem.ſ.indigere corpore vt obiecto. & ſic ſatisfactum eſt huic ſexto argumento.

Ad Ariſt. Auer. Boetium dicentes locis allegatis vanam & ridiculam fore interrogationem & diſiunctiuam in qua omnes partas uerificantur.dicimus. ꝙ ad probandum

ipſam inſeparabilitatem ſufficit. ꝙ alternatiuę iſtæ duæ partes uerificentur.ſ. aut indigere corpore ut obiecto. aut indigere corpora ut ſubiecto. & ſic iſti diſiunctiue contradicit hæc copulatiua facta de partibus oppoſitis non indigere corpore ut obiecto. neque indigere corpore ut ſubiecto. & ex iſta copulatiua cõcluditur ſeparabilitas animæ.

Ad ſeptimum argumentum. ubi arguitur ab aduerſario ab auctoritate negatiue. dicente. ꝙ nunquam inuentus eſt aliquis locus in Ariſt. ubi dixerit. ꝙ intellectus intelligat abſque phantaſmate. Dico primo argumentum illud non tenere ab auctoritate negatiue. ut patet primo phyſicorum ab Ariſt. hoc non uidit Parmenides. ergo hoc nõ eſt uerum: ſecundo dico. ꝙ ſemper intellectus noſter ad hoc ꝙ intelligat, indiget aliquo phantaſmate. nullo tamen phantaſmate ſemper indiget. hoc autem ſolum arguit inſeparabilitatem. non autem mortalitatem. quod intendit probare doctor iſte modernus.

Ad octauum argumentum. dicẽdum eſt. ꝙ eſt argumentum ad hominem. qui ponit fælicitatem in copulatione intellectus agentis cum poſsibili. primo negatiue. ex eo ꝙ nullus repertus eſt. ut tradunt hiſtoria qui ſciuerit omnia. quod argumentum non valet in

let in Theorica. neque in arte ſpeculatiua. quia ſi iſte non vidit omnia. alter vidit. & ſi talis non fuit in partibus noſtris. fuit in partibus orientalibus. uel in partibus antipodum. vel forte fuit in partibus noſtris. & ſi ad noſtras aures non deuenerit. & dato. ꝙ nullius fuerit. non propter hoc tollitur ꝙ ibi non conſiſtat fœlicitas noſtra. quia quãto aliquis plura ſpeculabilia habebit. tanto magis habebit maiorem copulationem intellectus agentis cum poſsibili. & quanto pauciora, tanto minorem coniunctionem. & iſta corpora dicuntur magis felicia & minus felicia per comparationem ad illum hominem. qui perfecte habebit copulatum intellectum agentem cum poſsibili. & erit ille. qui omnia ſpeculabilia habebit. & dato. ꝙ nullus fuerit talis, non tollitur tamen ſecundum intellectum. quin ſit menſura omnium. & hoc ſufficit in ſciẽtia. ſicut patet de optima ſanitate. quæ irreperibilis eſt ſecundum multos de mẽte Galeni, ut refert Truſianus primo tegni in illa magna digreſsione commen. x v i. & tamen de ipſo habetur ſcientia. ut patet per Galenum ſecũdo complexionum. in quo dicit. ꝙ oportet ipſam præcognoſcere. & tradit etiam quomodo debeat conſeruari. ut patet per ipſum tertio

tegni. & in libello de conſeruatione ſanitatis, & princeps & reliqui tradunt ſcientiam de ipſa & de accidentibus concomitantibus ad ipſam: & Galenus conſtituit libellum de optima habitudine corporis. in quo dedit ſcientiam de corpore optime ſano, & tamẽ tale corpus non reperitur, ſecundum multos.& ſi reperitur.tantnm per inſtans durat: Ita ferè dicimus de ſumma illa felicitate.quá ferè nullus adeptus eſt.

Et hoc dictum noſtrum amplius confirmatur.nónne multi ponunt felicitatem humanam in ipſa uirtute conſiſtere. nullus tamen inuentus eſt uſque ad tempora noſtra: qui perfecte eam adeptus fuerit. ut patet ſecundo Ethicorum. ubi loquitur de felicitate morali.dicit.hæc enim difficillimum obtinet medium.quod perfecte. & impoſsibile eſt adipiſci.& ideo non dicitur virtus mediũ ſimpliciter ſed quoad nos. quod adhuc non paruam participat latitudinem,& ideo inpoſsibile erit, eam adipiſci, quia natura nullum ex omnibus partibus perfectum cõſtituit, ſecundo Rethoricæ veteris: Ecce quomodo. Ariſtot.negat aliquem perfecte virtuoſum: & tamen penitus a multis talis felicitas conſiſtere in virtute: ſic erit dicendum de illa copulatione Auerrois. in qua

conſiſtit

conſiſtit fęlicitas humana. quæ eſt ſumma. vtrum modo talis ſit reperibilis vel ne. propter hoc non tollitur, ꝙ finis hominis fruſtraretur, quia fere omnes homines participant de illo fine, plus & minus, & forte totum genus humanum, & ſine forte, vel etiã maior pars habet omnia ſpeculabilia, iuxta illud. omnes ſciunt omnia, & etiam habetur ab Auerroe tertio de anima ꝙ philoſophia ſemper fuit perfecta in maiori parte ſui ſubiecti, reſpectu cuius partis maioris intellectus agens perfecte eſt copulatus intellectui poſsibili, reſpectu tamen cuiuſlibet indiuidui ſpeciei humane eſt imperfecta.

AD illud. quod dicit Aduerſarius. quod Ariſto. ponit x. Ethycorum fęlicitatem, vbi tractat de vltimo fine hominis in eo ꝙ homo, in habitu ſapientiali. credo, ꝙ ſit decimum capitulum, vbi ponit perfectam fęlicitatem fore quandam operationem contẽplatiuam, cuius ſignum eſt. ꝙ maxime deos fęlices dicimus. propter talem operationẽ, & nos etiam exiſtimamus eſſe fęlices in eo. in quo ipſi ſunt, prout nobis eſt poſsibile: fęlicitas ergo hominis conſiſtit in ipſa ſpeculatione, & maxime intelligentiarum, vt obiecti nobiliſsimi, & forte iſte eſt habitus

ſapientialis, ideſt methaphyſicus, quia ſunt tres habitus eſſentialiter perficientes intellectum, inter quos maxime habitus methaphiſicalis, hoc autem declarabitur inferius.

Ad aliud ſecundi phyſicorum, videtur ibi Ariſt. ponere animas multiplicatas: Dicitur, ꝙ Ariſtot. ibi loquitur de formis, quæ dant eſſe materie, & non de illis, quæ tantum corporibus communicant ſuam operationem, ille. n. formę ſunt multiplicate ad diuiſionem materię quante, & quæ conſtituuntur in eſſe per materiam, & quæ conſtituunt gradum ſpecificum, & quæ educuntur de potentia materiæ ad eſſe cõpoſiti ab ipſo agente, ſicut homo generat hominem & ſol, & aſinus aſinum: patent itaque ſolutiones argumentorũ cõtra hanc viam Auerrois, quam, vt ſepe dictum fuit, magis conſonam dictis Ariſt. tenemus. q̈ quæcunque alia opinio. vtrum autem opinio hęc ſit vera. vel non, hoc a me non ęrit determinandum, ſed hoc relinquo ſapientioribus, & hæc de opinione Auerrois.

Tertius Articulus.

Deveniamvs modo ad vltimum articu-

articulũ, in quo tractabitur opinio de ipſa anima intellectiua, quam opinionem firmiter tenemus eſſe veram, & principijs Ariſt. non fore contrariam, immo etiam ex illis ſequi probabiliter, non tamen demonſtratiue, ſum & enim huius opinionis, ꝙ non poſſumus probare demõſtratiue ipſam animam fore inmortalem, & multiplicatam ad multiplicationem corporum.

ARTICVLVS ergo iſte diuiditur in tres partes, in prima tangetur opinio vera de eſſe ipſius animæ videlicet de eius inmortalitate, & de eius pluriſicatione, & ꝙ dictis Ariſtot. non repugnet: in ſecunda parte tangetur opinio falſa erronea, & a principijs Ariſt. diſſona & penitus ab omni veritate, & quæ remouet nos ab omni opere bene viuendi: In tertia parte tangentur nonnulle obiectiones. quæ a nonnullis modernis adducuntur. quas putant fore demonſtrationes in via Ariſt. & ſuper ipſis maxime poſitionem ſuam fundant, & credunt ſe demonſtrare, cum tamen nihil probent, vt in ſequentibus patebit in poſitione fundamentorum opinionis vere, & in reſponſionibus ad ipſas obiectiones.

Opi-

Opinio Alberti & diui Thomæ.

Reiectis ergo opinionibus omnibus tam antiquorum quàm modernorum & modis earum diuerſis venio modo ad ipſam opinionem veram de ipſa anima intellectiua, & admodum, ſecundum quem ponitur ab ipſo diuino Alberto, in ſuis ſcriptis ad anima, & in x i i. methap.& in libro de homine, & ab ipſo Diuo Thoma. in queſtionibus diſputatis. in prima parte, in contra Gentiles & in quampluribus alijs locis, iſti viri ponunt tria dicta. primum dictum, ꝙ anima intellectiua dat eſſe corpori & conſtituit in eſſe ipſum corpus, & in hoc iſta opinio eſt concors cum Alexandro, & diſſentit ab Auerroe: ſecundum dictum, ꝙ anima intellectiua eſt multiplicata ad multiplicationem corporum, & in hoc concordat cum Alexandro,& diſſentit ab Auerroe, tertium dictum anima intellectiua eſt ſimpliciter inmortalis, & in hoc diſſentit ab Alexandro, & concors eſt cum Auerroe.

Pro verificatione igitur iſtius opinionis Notandum. in via iſtorum non ab Ariſto. diſſentiendo, ꝙ ipſa anima intellectiua ex quo eſt vmbra intelligentiarum, eſt in

orizonte

orizonte æternitatis & temporis ſupra natu ram exiſtens, & infra intelligentiam, propter ꝙ Iſaac dixit ipſam fore creatam in vmbra intelligentiarum, quaſi velit dicere, ꝙ ipſa anima intellectualis ſit ipſa intelligentia obumbrata per hoc, ꝙ eſt anima corporalis mortalis, & quod intelligentia habet in ſimplici rerum quiditate, anima habet per inclinationem ad corpus, quod eſt materie mobilis & tranſmutabilis,& ideo intellectus humanus cum continuo & tempore intelligit, quæ quidem anima eſt vna natura de entibus mundi non completa in ſpecie, & ſic non eſt proprie indiuiduum. quia ad indiuiduum completum requiritur, ꝙ ſit in ſpecie,& ꝙ per ſe poſsit exiſtere, anima autem humana eſt. ꝙ per ſe exiſtit,quia tamen non eſt per ſe in ſpecie, non dicitur indiuiduum,& ideo naturaliter vnitur corpori ipſum perficiens: eſt autem anima humana hoc aliquid: ex eo quod eſt vna natura perfecta, ex eo ꝙ habet illa, quæ requiruntur ad ipſam perfectionem eſſentie, quę ſunt ipſe intellectus agẽs & intellectus poſſibilis, & iſta ſe tenent ex parte eſſentie & potentiarum, inquantum vero habet operationem quæ eſt intelligere, vt ſic ordinatur anima, vt vniatur corpori,a quo corpore ani-

re anima accipit ſpecies intelligibiles, & hoc ſe tenet ex parte operationis, & ſic iſta natura vno modo eſt hoc aliquid, inquantum ſe tenet ex parte eſſentie, & alio modo non eſt hoc aliquid. inquantum ſe tenet ex parte operationis, quia de ſe non eſt potens habere operationem, niſi ſit coniuncta corpori, & ſic de ſe non eſt perfecta in ſpecie, & ideo non eſt hoc aliquid. quod ſit indiuiduum, a qua quidẽ natura emanant duę proprietates ſeu naturales potentie ſcilicet intellectus agẽs & poſsibilis, & cõponitur ex eis anima tanq̃ ex partibus eſſentialibus, ſicut natura corporea ex materia & forma cõponitur, cum enim ipſa anima ſit reſultatatio quedam ipſius intelligentię ſeparate, erunt in ipſa anima duo, quorum vnum eſt forma lucis, alterum eſt id, in quo recipitur lux illa, & ſic fit anima vnum entium mundi, a qua iſte due proprietates fluunt. quarum vna cauſatur a luce recepta, & altera cauſatur ab eo in quo recipitur lux, prima dicitur intellectus agẽs, ſecunda dicitur intellectus poſsibilis: Cum ergo anima habeat iſtas duas partes. erit ſubſtantia perfecta, & eſt hoc aliquid, & habet eſſe completum, quod quidem poſtea tribuit corpori, ex eo ꝙ fit vnum eſſentiale & completum

in ſpe-

in ſpecie ex forma intellectuali & corpore, quorum eſt tantum vnum eſſe, quod eſt eſſe forme, & ideo illa eſt vnio eſſentialis, & ſit vnum ex illis completum in ſpecie, ipſa ergo anima prius & ſi non prioritate temporis ſaltem prioritate naturæ habet eſſe cõpletum. quod poſtea corpori communicat, quod a corpore non dependet. niſi in complendo ſpeciem: anima ergo habebit illud eſſe completum corpore deſinente: Quod autem eſſe animæ non dependeat a corpore. arguitur ex eius operatione intelligendo vniuerſalia & inmaterialia, quæ nulli organo eſt deputata, & ſic ſuum eſſe erit eleuatũ ſupra corpus, quia iſta operatio. quę eſt intelligere. ſi conſideretur principium, a quo egreditur, non egreditur ab anima mediante aliquo organo, vt viſio, quæ egreditur ab anima mediante oculo. licet corpus in ea communicet ex parte obiecti, nam phantaſmata, quæ ſunt obiecta intellectus, ſine organis corporeis eſſe non poſſunt, quibus ſtã tibus arguitur modo ſic, ſi operatio propria ipſius animæ nulli organo eſt deputata, ergo & eius potentiæ. a quibus prouenit talis operatio, non erunt alicui organo deputate, & ſic neque eius forma, a qua proueniũt tales potentiæ, & ſic anima non conſtituetur

tur in eſſe per ſubiectnm, ſed potius conſtituet ſuum ſubiectum communicando eſſe, & ſic dato ꝙ corpori non cõmunicet ſuum eſſe, non tollitur propter hoc.quin ipſa anima ipſum retineat, & ſic remanebit cũ ſuo eſſe abſque corpore, & taliter anima eſt ſeparabilis non ſolum formaliter, ſed & re.

Vt autem clarius intelligatur iſta poſitio eſt Notandum. ꝙ vna quæque operatio eſt propria illi forme, quæ eſt principium illius operationis, & nunq̃ talis operatio habet abſolui a tali forma, neque forma a tali operatione, aliter enim eſſet fruſtra, & ideo ipſa operatio arguit formam primo phiſicorum & talis operatio eſt ſibi eſſentialis, ex eo ꝙ procedit ab ipſa eſſentia formæ ſecundum ſuas potentias. ſicut intelligere procedit ab ipſa anima intellectiua mediante intellectu agente & poſsibili. quæ ſunt potentię ipſius animæ intellectiue, & iſta propoſitio eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, anima eſt intellectualis, ſicut iſta homo eſt riſibilis, & ſic dico, ꝙ quotiẽſcunq; ipſa anima remanet, remanet & retinet principia. quibus poteſt perficere ſuam operationem propriã, & licet ipſa natura, dum exiſtit, nõ poſſit permutare ſuam operationẽ. neq; dimittere eam, ſicut homo riſibilitatem, bene tamen

men poterit permutare modum intelligendi: quia modus intelligendi non eſt ei eſſentialis, ſicut ſua operatio: Vnde dato pro poſſibili. immo de facto poterit accidere. ꝙ ipſe deus, vel vna intelligentiarum cauſabit vnam ſpeciem intelligibilem in ipſo intellectu poſsibili, nonne intellectus intelliget illud ſpeculabile abſque phantaſmate, cui dubium? Certe ſic, ſicut poteſt cauſari vnum phantaſma a ſuperioribus in ipſa virtute cogitatiua dato ꝙ nunq̃ fuerit in ſenſu exteriori aliquo modo, vt accidit ſæpius in ſomnijs, vt vnuſquiſque poteſt experiri in ſemetipſo, nõ ne cogitabit illud phantaſma ac, ſi ſit cauſatum ab ipſa ſpecie ſenſibili, cui dubiũ? Cũ igitur iſte potẽtie. quæ ſunt organicę. & ſunt vnius naturę. quę maiorẽ depẽdẽtiã ad ſe inuicem habent, q̃ habeant cum intellectu poſsibili hoc, faciunt, ꝙ vna poterit abſolui ab alia, quanto magis ipſe intellectus poſsibilis qui eſt alterius naturæ.

QVOD etiam maxime cõfirmatur. quia iſte modus, quo ipſa anima intelligit, cum eſt coniuncta corpori. ſe tenet potius ex parte cauſæ efficientis. q̃ alio modo, & cum ipſum efficiens non ſit de eſſentia effectus, ex quo eſt ſibi extrinſecũ, vt patet ſecũdo phyſicorum, abſoluetur ab ipſo, & maxime.

quando

quando ille effectus eſt permanens, ſicut eſt intelligere, & licet ſpecies intelligibilis ſit in mediate cauſata ab ipſo obiecto vna cum intellectu agente, quæ eſt idem, ꝙ habitus vel diſpoſitio, qui habitus remanent in anima cum deletione phantaſmatum, a quibus cauſati ſunt quibus mediantibus ipſa anima poterit exire in ſuam operationem, quia in ipſa anima eſt potentia actiua & paſsiua: & etiam agens particulare, quod habet diſtinguere intellectum poſsibilem, & determinare ipſum intellectum agentem.

Sed aliquis hic dicet & recte, ꝙ illa ſpecies intelligibilis eſt in intellectu poſsibili in tali eſſe, ꝙ non poteſt mouere intellectũ poſsibilem, ex quo ibi non eſt niſi ſub eſſe remiſſo, & ideo dico. ꝙ oportet, ꝙ ſit aliquod, quod faciat ipſum ſub tali eſſe, quod poſsit mouere, & hoc non poterit eſſe, niſi ipſum phantaſma, vel aliquid illius, quod habeat ipſum repreſentare, intendatur ab vna intelligentiarum, & cauſabit intellectionem abſque phantaſmate, quæ quidem intellectio erit eiuſdem ſpeciei cum priori.

Patet igitur iſtud Notandum. ꝙ iſte modus intelligendi non eſt formaliter, & de ratione ipſius intelligere & per conſequens poterit modus permutari non permutata

mutata anima, neque eius operatione, verum ſolum eſt neceſſarius iſte modus intelligendi cũ corpore, dum ipſa ſcientia acquiritur, vel ad memoriam reducitur, & dum eſt in acquiri, vel in reduci. non autem eſt neceſſarius, vt eſt in acquiſito eſſe vel in reducto eſſe. Ariſtot. autem non vult aliud per iſtum modum intelligendi cum corpore niſi probando animam eſſe tanq̃ tabulam raſam, & nullam de ſe ſpeciem penitus habere, verum omnem ab ipſis phantaſmatibus produci, vt opinionem Platonis redargueret, & ꝙ nos non aliquando non poſſumus intelligere abſque phantaſmate, hoc non habebis ab ipſo Ariſt. & illa propoſitio tertertij de anima, neceſſe eſt intelligentẽ phantaſma ſemper aliquod ſpeculari, intelligitur illa propoſitio, dum ſumus in acquiri, vel in reduci ad memoriam, ſed poſtq̃ habebimus ipſum intellectũ adeptum, vel partẽ ipſius non indigebimus amplius phãtaſmate illius ſpeculabilis. quod acquiſiuimus: & hæc reſponſio elicitur ex dictis Alberti Magni tertij de anima capite illo. quo modo anima eſt omnia, & in hoc Auicenna conſentit huic ſententię.

DIVVS autem Thomas in ſcriptis ſuis de anima textu commenti XXXIX. vbi in-

 pugnat

pugnat Auicenam . qui Thomas vult ꝙ intellectus omnino indiget ſenſu. poſtq̃ acquiſiuit ſcientiam , dicit ꝙ manifeſtum eſt. ꝙ poſtq̃ acquiſiuit habitum ſciẽtie, neceſſe eſt . ꝙ ſi aliquis ſpeculetur, vtatur phantaſtaſmate , & dicit . ꝙ iſte modus intelligendi cum phantaſmate eſt proprius animæ. quando eſt coniuncta corpori, vt patet ab ipſo in queſtione x v. de anima ad primum: Et nota ſecundum iſtam viam ſancti Thomæ textus Ariſto. magis eſt clarus , qui eſt. x x x i x . tertij de anima, vbi dicit. Et cum ſpeculetur , ideſt, dum homo ſpeculatur, neceſſe eſt ipſum aliquod phantaſma ſemper ſpeculari, cum hoc de facto anima ipſa ſeparata intelligere poſsit abſque phantaſmate: non eſt ergo quid proprium ipſius animæ intelligere cũ phantaſmate ſed bene eſt proprium hominis & coniuncti : verum proprium eſt animæ intelligere , & ꝙ hæc ſit mens Ariſt. patet in eodem textu , vbi vult, ꝙ nulla res ſit præter magnitudinem, ideſt, ipſa intelligibilia ſunt in ſpeciebus ſenſibilibus, ideſt, cauſantur ab ipſis in ipſum intellectum poſsibilem, quæ cauſate ſunt ab ipſis obiectis , quia in iſta, propoſitione duo intendit Ariſto.contra Platonem, primum, ꝙ ipſa intelligibilia in actu non ſunt ſepa-

rata

rata ab ipſis ſenſibilibus? Aliud. ꝙ ſcientia acquiritur de nouo, quod vtrunq; Plato negabat: & ideo illud. quod debet moueri a ſenſibilibus, in quibus intelligibilia ſunt oportet ꝙ ſit organicum corpus informatum anima intellectiua: repugnat ergo ipſi Animę, inquantum corpori eſt coniuncta. intelligere ſine phantaſmate. quia vt ſic nõ recipit ſpecies intelligibiles ab ipſis intelligentijs, ſed ſolum lumen intellectuale, & ideo indiget phantaſmatibus vt obiectis, a quibus ſpecies intelligibiles accipiat: anima autem ſeparata vtrunque accipiet ab ipſis intelligentijs, ſcilicet, & ſpecies intelligibiles ab ipſis influxas, & lumen intellectuale: Et dicimus, quod operatio propria ipſius animæ eſt intelligere intelligibilia actu, nec propter hoc diuerſificantur ſpecies intellectualis operationis, ex eo ꝙ ipſa intelligibilia actu ſint accepta a phantaſmatibus, vel aliunde, nam ſupra dictum fuit. ꝙ iſte modus diuerſus intelligendi non variat ipſam operationẽ intellectus reſpectu eiuſdẽ obiecti: naturale ergo ineſt ipſi animę cõiunctę corpori intelligere per ſpecies cauſatas ab ipſis phãtaſmatibus,& ideo ipſa vnitur corpori naturaliter ſicut naturale eſt animæ ſeparate, vt intelligat per ſpecies in-

fluxas ab ipſis intelligétijs,quia vt ſic ſepara ta a corpore habet eſſe per modũ ſubſtantia rũ ſeparatarum,& ſic habet operari per mo dum illarum, ſicut dum eſt corpori coniun cta, habet eſſe per modum illius.qui eſt per receptionem ſpecierum cauſatarum ab obiectis extrinſecis: Ecce quomodo ipſa anima intellectiua participat eſſe & modũ intelligentiarum, & corporum, non autem diuerſam operationem, quæ eſt intelligere, quia idem intelligere ſpecie & numero reſpectu eiuſdem obiecti & eiuſdem animę ſeparatę, & coniuncte. licet modus intelligendi diuerſificetur, quia eſt ſibi extrinſecus. ſicut eſt eadem caliditas ſpecie producta a ſole & a caliditate ignis. ita ipſa operatio intellectualis non habebit differre ſpecie, ſiue ipſum intelligibile actu. quod eſt obiectum intellectus, accipiatur a phantaſmatibus, ſiue aliunde: bene ipſa operatio potentie accipit diſtinctionem & ſpeciẽ ſecũdum obiectum quantum ad rationem formalem ipſius.

AMPLIVS pro declaratione iſtius poſitionis propter reſponſionem ad nonnulla argumenta. quæ videntur mihi non paruam facere difficultatem. quæ multum valida ſunt in opinione Auerrois: Eſt igitur

Notan-

Notandum. ꝙ iſte duæ potentiæ quæ ſunt in anima.ſ.intellectus agens & poſsibilis,ex quo ſunt ſubiectiue in ipſa anima, ſemper ipſi animę ſunt coniuncti. ſicut accidẽs ſemper eſt coniunctum ſubiecto, & hoc eſt verum ſecundum eſſe, licet ſecundum opinionem omnium philoſophorum antiquorũ & modernorum magis ſit coniunctus ipſi animæ intellectus poſsibilis q̃ intellectus agens, quia habet plus de ratione materiæ, quia poſsibilis, quæ habet ſuſtentari per aliud,agens autem intellectus habet plus de ratione formę, quæ habet communicare eſſe alijs: & iſte duę potentiæ quoad ſuum eſſe ſunt ſingularia ſeu indiuidua, licet non proprie: ſicut anima, in qua ſunt,non proprie eſt ſingularis, ſeu indiuidua, cum de ſe non compleat ſpeciem, ſed bene cum corpore:& propter hoc anima non erit proprie indiuiduum: ſed ſicut ipſa quodammodo media eſt in orizonte æternitatis & temporis & quoad vniuerſalitatem & quoad particularitatem. ſic & iſte duæ potentie ſe habebunt, anima ergo ipſa inquantum eſt vnita corpori efficitur hæc. vnde indiuiduatur per ipſum corpus. a corpore ergo accipit anima indiuiduationem, & illi tribuit ſuũ eſſe,quod quidẽ eſſe prius ineſt animæ ſal-

tem prioritate naturæ: iſtud ergo eſſe. quod eſt eſſe vegetatiuũ ſenſitiuũ & intellectiuũ. ſecundum ꝙ intellectiuum eſt. nullam penitus indiuiduationem accipit a corpore, ex quo nullius partis eſt actus. ſecundo de anima textu x1. ſed ſolum accipit indiuiduationem ſecundum gradum vegetatiuum & ſenſitiuum. quæ tamen idem ſunt realiter, vt inferius declarabitur: Patet igitur ex hoc, ꝙ vtrique intellectus ſecundum ꝙ nullam penitus indiuiduationem accipiunt a corpore ſecundum ꝙ tales, licet accidat illis in ſubiecto eſſe, quod eſt ĩdiuiduatũ ratione partiũ. ratione quarũ iſte potentiæ nõ inſint: Et ex hoc probabiliter poſſemus inferre ipſas potẽtias maiorẽ ſpiritualitatẽ habere. q̃ habeat ipſa anima. in qua ſunt: & per conſequens cum maiori ſpiritualitate & vniuerſalitate poterunt recipere & agere, quia lumen ipſius intellectus agentis in faciendo intellecta non eſt alligatum alicui organo, & ſimiliter præparatio poſsibilis in recipiendo ea. ſecundum ꝙ tales ſunt: ergo non erit mirũ. ſi agens faciet vniuerſalia. quæ ſunt ipſa intellecta, & poſsibilis recipiet ea vniuerſali modo non ſolum in preſentando. verum & in eſſendo. quamuis ſanctus doctor voluerit. ꝙ iſte ſpecies ſint in eſſendo indiuidua-

liter.

liter.repreſentent autem vniuerſaliter, quia vnũquodq; agit: ſecundum ꝙ eſt: Et ex hoc notando ſoluuntur multa argumenta, quæ faciunt Auerroiſte, & ipſe Auerroes in illa magna digreſsione commenti quinti tertio de anima, vbi vult probare vnitatem intellectus. quia ille ſpecies, quæ ſunt in tali natura indiuiduata, & in alia eiuſdem obiecti. non differunt niſi numero. ergo ab illis eſt abſtrahibilis vnus conceptus communis, & ille conceptus non numero, ſed ſpecie erit in te & in me, & habebit eſſe indiuidualiter, & ſic erit abſtrahibilis alter conceptus, & ſic procedetur in infinitum, quod eſt abſurdum & inconueniens.

VLTIMO eſt Notandum pro iſta opinione Diui Thomæ, ꝙ in quolibet compoſito eſt tantum vna forma ſubſtantialis, quę forma quanto perfectior ſimplicior & formalior, tanto in plura poterit, & ab ipſa fluent plures potentię, per quas forma illa plura poterit operari: & econtra. quanto forma inperfectior. tanto in pauciora poterit: Hæc habent primo videri in formis elementorum, quæ tantum illa faciunt, ad quæ ſe extendunt qualitates primæ: formæ autẽ vegetabilium vltra qualitates primas habẽt alias operationes, vt nutrire & generare car

nem: forma autē ſenſitiua habet totum id. quod habet vegetatiua, & aliquid vltra, ſcilicet: ſentire: intellectiua autē habet quidquid, ſenſitiua, & vegetatiua habet, & vltra habet intelligere, & ideo intellectiua eſt quid formaliſsimum reſpectu vegetatiue & ſenſitiue, & quanto formalius, tanto in pluribus operationibus inuenitur: eſt.n.in eis. ſicut in figura trigoni tetragoni, & pentagoni. nam trigonum eſt in tetragono, & tetragonum in pētagono: ita vegetatiuum in ſenſitiuo, & ipſum in intellectiuo ſed cum trigonum & tetragonum non ſint formaliter in pentagono, ſed ſolum in virtute: ita vegetatiuum & ſenſitiuum ſunt in anima rationali virtualiter: pentagonum autem formaliter eſt in trigono & tetragono: ita & forma intellectiua eſt formaliter in iſtis gradibus in virtute continens illos duos gradus, ſcilicet vegetatiuum & ſenſitiuum Ab iſta ergo anima rationali fluunt iſte duę potentię, quanto.n.ſimplicior. tanto plures potētiæ ab ea fluunt. non tamē propter hoc poſſumus concludere compoſitionem, quia ipſe potentię vegetatiue & ſenſitiue fluunt ab ipſa eſſentia animæ rationalis, & non ſunt formę in homine. licet in alijs, vt in aſino anima ſenſibilis eſt forma: in planta anima vegeta-

vegetabilis eſt forma: ipſa ergo anima rationalis in homine dat ſuū eſſe corpori. quod eſt eſſe vegetatiuum & ſenſitiuum & etiam intellectiuum, & omnium eſt vnum eſſe. tamen ſicut forma humana ibi eſt formaliter. ita eius eſſe, & ſicut in aſino illa forma ſenſibilis eſt corruptibilis ſimpliciter & ſecundum quid. propter ſuum eſſe formale. quod eſt corruptibile, ſic anima rationalis propter ſuum eſſe, quod eſt incorruptibile ſimpliciter, & corruptibile ſecūdum quid. erit incorruptibilis ſimpliciter, & corruptibilis ſecundum quid. ratione quarundam partium. quę ſunt corporis actus, quæ non poſſunt cōſtitui in ſuo eſſe formali niſi per corpus, & ideo ad deſitionem corporis ille partes deſinunt eſſe ſub tali eſſe formali: verū ratione principij, a quo fluunt. remanent, non ſub eſſe formali, ſed tanq̄ in radice: vt arguatur ſic. illud quod remanet ſecundum ſubſtantiam, eſt incorruptibile ſimpliciter, & quod deſinit eſſe ſecundum aliquam operationem, eſt corruptibile ſecundum quid: ſed anima ipſa intellectiua ſecundum gradum intellectiuum eſt incorruptibilis per Ponponatium, & ſecundum gradum vegetatiuum & ſenſitiuum eſt corruptibilis, ſed in homine gradus intellectiuus eſt ſecundū

eſſen

eſſentiam, alij autē gradus ſecūdū potentiā. ergo relinquitur, ꝙ ipſa anima intellectiua erit incorruptibilis ſimpliciter, ſecundum autem quid corruptibilis: probatur minor, nā in trigono & tetragono eſt pētagonū ibi ſecūdum ſuam eſſentiam, trigonum autem & tetragonum ſunt in pentagono ſecūdum potentiam, ita anima rationalis eſt in homine ſecundum eſſentiam, vegetatiuum autē & ſenſitiuum ſecundum potentiam, ſicut in aſino forma, quæ eſt ibi in actu, corrumpitur, & etiam vegetatiuum corrumpitur ſimpliciter, quia principium, à quo fluit vegetatiuum in aſino, ſecundum eſſentiam corrumpitur, & ideo non remanet in radice, ſicut in anima intellectiua: Anima ergo ipſa intellectiua erit incorruptibilis ſimpliciter, & corruptibilis ſecundum quid. quod eſt de directo cōtra Petrum ponponatium.

Secunda pars tertij articuli, in qua ponitur opinio Ponponatij.

NVNC reſtat aggredi ſecundam partem tertij articuli, in qua ponitur poſitio Petri ponponatij, & aliquorum aliorum: quę poſitio eſt de directo oppoſita poſitioni Alberti & diui Thomæ: Poſitio ergo iſta cō

ſiſtit

ſiſtit in duobus dictis. Primum dictum. ꝙ vegetatiuũ ſenſitiuum & intellectiuũ idẽtificantur in homine, & in hoc conuenit cũ ſanto Thoma & Alberto: ſecundum dictũ, ꝙ intellectiuum ſimpliciter eſt mortale, ſecundum quid autem inmortale, quod de directo eſt oppoſitum oppoſitioni Diui Thomę: Et vt iſta poſitio magis manifeſtetur. oportet ponere eius fundamenta, quæ partim fuerunt poſita in ſuperioribus,& etiam annihilata, vt patuit in declaratione poſitionis Auerrois, & poſitionis modernorum, & merito annihilata ſunt, quia iſta poſitio vtrique poſitioni. Aduerſatur nam vtraq; opinio ponit animam immortalem, hæc autem opinio ponit eam mortalem:verũ quia ſuum fundamentum, quod iſta poſitio ponit pro ſuſtentanda opinione ſua, non videtur ita bene eſſe deſtructum pro poſitione, quam intendimus eſſe veram, & quia etiam iterum iſti de nouo adducunt alias rationes. ideo iterum inſurgemus ad earum deſtructionem, ideo iterum replicabo, & annihilabo, ita ꝙ nullam penitus viam habebunt contra poſitionem noſtram veram & ad mentem Ariſtot.

ADDVCVNT iſti duos textus Ariſtot. qui multum videntur fauere opinioni noſtræ,

ſtrę, videlicet ipſam animam intellectiuam eſſe immortalem: eſt textus x i i. primi de anima, qui ſic incipit. ſi quid igitur animę operum aut paſsionum proprium, continget vtique ipſam ſeparari. ſi vero nullũ eſt proprium, non erit vtiq; ſeparabilis: Eſt al ter textus xi. ſecundi de anima, ex quo textu elicitur iſta propoſitio. ꝙ ipſa anima intellectiua habeat aliquã operationẽ propriã. quæ eſt poſitio antecedentis illius conditionalis poſitæ in textu x i i. dicit. n. Ariſtot. in iſto textu xi. at vero ſecundum quaſdam nihil prohibet, propter id. ꝙ nullius corporis ſunt actus, & ſic anima erit ſeparabilis, vt patet a conditionali cum poſitione antecedentis ſequitur poſitio conſequentis, conditionalis eſt Ariſ. textu x i i. primi de anima. minor eſt Ariſt. text. xi. ſecundi de anima ergo exiſtis duobus textibus ſequitur animam eſſe ſeparabilem.

VERVM Ponponatius inſurgit aduerſus hæc & maxime auctoritate illa Ariſt. primi de anima textu x i i. quem textum adducunt ipſi pro achille ſuo. ibi dicit Ariſto. ꝙ ipſum intelligere maxime aſsimilatur proprio ita ꝙ vult dicere Ariſto. ꝙ ſi anima habeat aliquam operationem propriã illa erit intelligere. Deinde ſequitur Ariſto. dicẽs. ſi au-

ſi autem & hoc,ideſt, ſi intelligere eſt phantaſia aut non ſine phantaſia, non contingit vtiq;. neque hoc ſine corpore eſſe: modo arguit ſic Ponponatius ex poſitione ipſius antecedentis ad ipſum conſequens cum vna altera propoſitione. Ariſt.tertij de enima textu.x x x i x. vbi dicit ſed cum ſpeculetur aliquis neceſſe eſt ſimul aliquod phātaſma ſpeculari. dixit etiam Ariſtot. tertio de anima textu x x x. propter ꝙ nequaꝗ ſine phantaſmate intelligit anima, modo arguit ſic iſte doctor. ſi intelligere aut eſt phantaſia, aut nō eſt ſine phantaſia. nō contingit vtiq; eſſe ſine corpore,ſed intelligiere nō eſt ſine phātaſia.ergo intelligere nō eſt ſine corpore,ergo inſeparabile. minor eſt Ariſ.locis dictis, vide ergo manifeſtā cōtradictionē in dictis Ariſt.nam textus x i i i. primi de anima, & textus x i. ſecundi de anima videntur contradicere & textui x x x i x.& textui xxx.tertij de anima: quod minime concedendum eſt contradictionem eſſe in tanto philoſopho, quem omnes & moderni, & antiqui ipſum tanꝗ regulā in natura dicunt, in quo nullus adhuc fuit inuentus error: licet dicat Ponponatius poſitionem iſtam ſequi nō ex principijs philoſophiæ, quę vera ſunt, & ex vero non poteſt ſequi niſi verum in conſe-

quentia

quentia formali. cum ergo iſta poſitio fuerit falſa, non poterit ſequi ex illis, ſed bene verum eſt. ꝙ ſequitur ex principijs Ariſt. ergo illa falſa ſunt, quia falſum non poteſt ſequi niſi ex falſis: vide quantum iſte bonus homo attribuit Ariſt. ꝙ poſuerit principia falſa, & maxime in tali materia, quę eſt principalis pars philoſophiæ, & cum paruus error ſit in ipſis principijs, maximus erit in fine, hoc autem nõ prouenit niſi ex malo intellectu quem habet in dictis Ariſt. Cum ergo hæc ita ſe habeant, habemus remouere ilam apparentem cõtradictionem in dictis Ariſt. ſemper adherendo ipſi veritati. quia ipſi vero omnia conſonant, & licet in ſuperioribus multa dixerimus approbando illa & magis declarãdo. iterũ aliquid dicamus.

Reſponſio ad rationes Ponponatij & ſuæ opinionis inpugnatio.

NOTANDUM. ꝙ Ariſto. fuit vſus iſta conditionali, ſi intelligere aut eſt phantaſia aut non eſt ſine phantaſia. non contingit ipſum ſeparari a corpore, propter duo. & maxime propter vnum. vt oſtenderet, in nobis ſcientiam fieri de nouo, aliud eſt. ꝙ omnia intelligibilia materialia ſunt in ipſis ſenſibilibus

libus, quorum vtrumque Platoni aduerſatur. quod manifeſtatur, Ariſt.tanq̃ reſpõdens iſti tacite obiectioni, ne forte quis crederet. quod ex eo ꝙ intelligere eſt propriũ animæ, ꝙ intelligere non indigeat corpore vt obiecto, dicit Ariſt.nobis hoc exiſtimare. quia hoc de ſe non habet, & quia illud obiectum intellectus non eſt niſi in ſenſibilibus. non autem extra ſenſibilia, vt Plato voluit, neceſſe fuit Ariſt.ponere ipſum intelligere dependere a corpore vt obiecto. quia illa ſenſibilia non mouent niſi corpus in virtute propria, ideo neceſſe fuit ipſam animam vniri corpori, vt illa recipiat,& cognitionem intelligibilium accipiat & ſuam operationem perficiat. & ideo Ariſt.intulit conſequens ꝙ non contingit ſeparari, non. ꝙ nunq̃ ſeparabitur, ſed ꝙ non contingit animam ipſam creari, & non vniri corpori. quia creatur propter hoc vt perficiatur in ſua operatione, & non perficeretur, ſi crearetur abſque corpore, non contingit ergo ipſam animã ſeparari.i.non cõtingit ipſam creari ſeparatã a corpore.quia cũ in tali operatione indigeat phãtaſmatibus.quę nõ poſſunt eſſe niſi in ſenſibilibus,quę ſunt in corpore indiget ergo corpore anima, & creatur in corpore non ſeparata a corpore. quæ

poſtea

poſtea cum fuerit in ea acquiſita ſcientia po terit a corpore ſeparari tanq̃ habito termino ad quem ceſſat motus: ꝙ autem hoc ſit de mente Ariſt. patet ex textu x i i i. inmediate ſubſequente textum. x i i.& ſic continuetur, ideſt, licet ipſa anima propriam habeat operationem quæ eſt intelligere, quod quidem tamen ad minus non eſt ſine phantaſia, dato ꝙ non ſit phantaſia, non continget ipſam creari ſeparatam a corpore: ſi igitur. ly igitur eſt nota illationis inferẽs iſtud conſequens, ſcilicet, ſi eſt aliquid operum vel paſsionum proprium ipſi animę. continget vtiq; ſeparari, ideſt dato ꝙ anima creetur in corpore, continget tamen ipſam ſepa rari a corpore ſeparatione reali non autem formali neque ſecundum quid: Quod etiam maxime confirmatur ex textu x i. ſecundi de anima, vbi habet Ariſt. ꝙ poſtq̃ diffiniuit Ariſt. ipſam animam. ꝙ eſt actus corpo ris phiſici organici, oportet ꝙ anima ſaltẽ ſecundum aliquas partes non ſit ſeparabilis a corpore. quia actus non ſeparatur ab illo, cuius eſt actus, at vero ſecundum quaſdam nihil prohibet ipſam ſeparari, propter id. quod nullius corporis ſunt actus: ex quo patet. quod non poteſt intelligi iſte textus de intellectu agente. quia adhuc nihil de ipſo nobis

ipſo nobis manifeſtum eſt, cum de ipſo nihil dictum fuerit in præcedentibus vſque ad talem textum. ſed oportet. ꝙ intelligatur de intellectu poſsibili, de quo ſuperius in primo de anima fecerat mentionem, quia de illo nobis manifeſtum eſt, ꝙ ſi habet aliquam propriam operationem, continget ſeparari, verum hic in iſto textu ponit Ariſt. in eſſe antecedens illius conditionalis ponẽdo ineſſe conſequens, quod ſequitur ex poſitione antecedentis. quod eſt, ꝙ non prohibet ſecundum quaſdam partes ſeparari, ex eo ꝙ nullius corporis ſunt actus, quod ſequitur ex iſta poſitione antecedentis, ꝙ anima habet propriam operationem: Ex dictis apparet error cuiuſdã moderni. qui voluit, ꝙ iſte textus intelligatur de intellectu agente, cum nihil adhuc de eo ſit ab Ariſt. determinatum: neq; poteſt intelligi iſte textus. vt interpretatus eſt Ponponatius, ꝙ anima ſecundũ aliquas partes ſit ſeparabilis ſecundum quid, & non ſimpliciter, quia Ariſtot. qui vult. ꝙ anima ipſa intellectiua, ex quo eſt ſuprema animarũ, a qua fluunt omnes proprietates & potentię naturales, a quibus proueniunt ipſe operationes: eſſe ergo vegetatiuum, quod eſt in plantis, eſt ab anima vegetatiua. eſſe ſenſitiuum. quod eſt in

G brutis,

brutis, eſt ab anima ſenſitiua, & vltra hoc dat anima eſſe intellectiuum, erit ergo in homine anima intellectiua habens omnes iſtas potentias. ſ. vegetatiuum ſenſitiuum, & intellectiuum. quæ potentiæ in alijs ab homine non ſunt ſeparabilis, quia tamen in homine ſunt ſubiectiue in anima intellectiua, quæ eſt ſeparabiles in eo ꝙ anima. dico ſeparabilis ſimpliciter & realiter & non formaliter tantum, vt dicit Aduerſarius: accidit etiã illis potentijs. quæ ſunt ſimpliciter inſeparabiles in brutis & in plantis. ꝙ ſecundum quid ſint ſeparabiles, vt in anima rationali. quia remanent ibi tanq̃ in radice, vel vt in principio. quia non corrumpuntur a contrario, ex quo non habent contrarium. neq; ad corruptionem ſubiecti, in quo ſunt tanq̃ in principio. quia eſt incorruptibile. quod eſt ipſa anima intellectiua: Verum quia hæ potentiæ habent eſſe in compoſito ſimpliciter & completiue, & ideo ſecundum tale eſſe corrumpuntur. quia compoſitum ſimpliciter corrumpitur, vt habetur a Diuo Thoma in quæſtionibus diſputatis. queſt. xi. Poſſumus ergo hunc textum xi. ſecundi de anima, dupliciter introducere, vno modo. ꝙ ipſa anima ſecundum totum genus habet aliquas partes dico ſubiectiuas, quæ non ſunt

ſunt ſeparabiles a corpore, & corrumpuntur ſimpliciter, & ſecundum quid. quia corrumpitur compoſitum, & principium, a quo prodeunt. vt patet in plantis & in brutis: Eſt etiam aliqua pars ſubiectiua animę, quæ eſt ſeparabilis. quia nullius corporis eſt actus, vt anima intellectiua. quę ſecundum talem gradum non eſt actus alicuius corporis. quia non vtitur inſtrumento corporeo vt ſubiecto pro ſua operatione, bene tamen eſt actus ſecundum alios gradus vt vegetatiuum & ſenſitiuum: Alio modo iſte textus poſſet ſic introduci, ꝙ anima intellectiua, ex quo habet plures potentias, quæ fluunt ab ipſa anima, quæ potentiæ in alijs ab homine arguunt alias formas ſubſtantiales. quæ ſunt inſeparabiles a corpore. ſic dicimus ipſam animam intellectiuam ſecundum partes iſtas potentiales eſſe actum corporis & eſſe inſeparabilem. verum quia hoc ſibi accidit. ex quo non ſunt de ratione formali intellectus in eo ꝙ intellectus qui vt ſic eſt ſeparabilis. dicimus ipſam animam intellectiuam ſecundum quaſdam partes fore inſeparabilem, & ſecundum quaſdam fore ſeparabilem: verum quia in ordine naturæ, & maxime in ordine illarum potentiarum animæ id. quod eſt in perfectum reſpe-

ctu perfecti habet eſſe per eſſe perfecti,& nõ econtra: quia ſemper imperfectiora includuntur in perfectioribus, & habent eſſe per ea; patet igitur. ꝙ illę potentiæ habent eſſe per formam ipſam ſubſtantialem. ſecundũ quam fluit ab ea potentia intellectiua. quæ habet remanere per te ex quo eius potentia. quæ eſt intellectus remanet, & ſic non corrumpitur ſimpliciter. quia remanet ſimpliciter. quia illud quod eſt incorruptibile ratione ſui, corruptibile autem ratione alterius. eſt incorruptibile ſimpliciter, corruptibile autem ſecundum quid. iſta eſt per ſe nota. anima autẽ intellectiua eſt incorruptibilis ratione ſui, quia ratione intellectus. ex quo ſecundum hoc nullius eſt actus, vt etiã conceditur ab aduerſario, corruptibilis autem ratione alterius vt puta ratione gradus vegetatiui & ſenſitiui, erit ergo incorruptibilis ſimpliciter,& corruptibilis ſecundum quid, & realiter. quia anima intellectiua ſecundum ſuam eſſentiam eſt etiam incorruptibilis & non tantum formaliter. quod eſt oppoſitum iſtorum.

AMPLIVS iſta diuiſio animæ facta ab Ariſt. in textu XI. ſecundi de anima in partes ſeparabiles & non ſeparabiles aut erit ſecũdum partes ſubiectiuas, aut ſecundum partes

tes poteſtatiuas: ſi primum. erit diuiſio rerum, quæ realiter ſeparantur a corpore, & quæ non realiter ſeparantur a corpore, ſi autem erit diuiſio ſecundum partes poteſtatiuas reſpectu vnius indiuidui. ſic habebit aliquas partes, quæ non reali ſeparatione ſeparantur a corpore, ſed corrumpuntur ſimpliciter cum corpore, ita & habebit anima aliquas partes ſimpliciter ſeparabiles. quia diuidentia debent ſe habere eodem modo ad diuiſum quoad modum.

PRAETEREA Notandum. ꝙ iſte textus x i. ſecundi de anima, in illa parte vbi dicit, at vero ſecundum quaſdam partes nihil prohibet ſeparari, eſt poſitio antecedentis illius conditionalis poſite in primo de anima textu x i i i. vbi ponitur iſta prima conditionalis. ſi quid igitur animæ proprium operum aut paſſionum, continget vtiq; ipſam ſeparari, ex qua conditionali in conſequentia formali nihil ſequitur niſi cum poſitione antecedentis. ſicut etiam ex alia ſecūda cōditionali. ſ. ſi vero nullum eſt propriū, non erit vtique ſeparabilis, vide. ꝙ Ariſt. ponit ineſſe antecedens primæ conditionalis in iſto textu x i. vbi dixit, at vero ſecundum quaſdā partes nihil prohibet ſeparari. quod ſequitur ex iſta. ꝙ anima habeat aliquod

operum proprium, quæ eſt poſitio antecedentis illius primæ conditionalis: & nota. ꝙ Ariſto. loquitur de ſeparatione reali. & non formali, quod patet per ſecundam conditionalem. ſ. ſi autem non aliquod operum proprium erit. non erit vtique ſeparabilis ſeparatione reali. ſed ſolum formali: Et ſequitur Ariſtot. in illo textu x i i i. dicens. ſicut recto inquantum rectum multa accidũt vt tangere æneam ſperam in puncto, non tamen tanget ab hoc ſeparatum. quia ſemper erit coniunctum cum corpore, non tamen inquantum cum tali corpore coniunctum: ita accidet intellectui inquãtum intellectus. ita ꝙ non plus accidit. ꝙ ſit ſeparabilis a corpore. q̃ rectum. ſi ad opus proprium non venitur. ſed habet opus proprium intellectus, vt patet in textu x i. ſecundi de anima. ergo anima habebit maiorem ſeparationem q̃ ſeparationem formalem, quæ erit ſeparatio realis: quare ex expoſitione iſtius textus x i. apparet error noſtri aduerſarij intantum, ꝙ fuerit ſibi neceſſe dicere. ꝙ Ariſto. loqueretur in iſto tex. x i. de intellectu agente, cum dicebat, at vero ſecundũ quaſdam partes nihil prohibet ſeparari: cum adhuc de eo nihil ab Ariſtot. manifeſti habuerimus: quare iſte textus nõ poteſt aliter intelligi

telligi q̃ de intellectu poſsibili: quia de ipſo aliquid fuit dictum in primo libro de anima, in quo non loqutus eſt Ariſto. niſi fere conditionaliter.

Et nota præterea iſtam rationem, neq; doctor iſte poterit euadere iſtam rationem, ꝙ ſecundum quid erit ſeparabilis, ſicut rectum, quia in ſecunda conditionali, quæ erat iſta. ſi vero nullum eſt proprium, non erit vtique ſeparabilis, non arguitur cum poſitione antecedentis, & ideo non accidit illa ſeparabilitas, quæ accidit recto, bene ſi bi accideret. quando non haberet propriũ operationem, ergo illam habendo accidit alia ſeparabilitas a ſeparabilitate recti. quæ erit realis & ſimpliciter, & non ſecundum quid, & formalis tantum.

Confirmatur etiam hoc per textum x v. ſecundi de anima. vbi dicit Ariſt. ſeparari autem hoc ab alijs, poſsibile eſt: alia autem ab hoc impoſsibile in rebus mortali bus: vbi ly hoc denotat textum inmediate precedentem, vbi fecerat mentionem de anima, ſeu de gradu vegetatiuo: Et nota. ꝙ dixit Ariſt. inmortalibus propter corpora cęleſtia quæ habent animam intellectiuã. ſuppoſito, ꝙ ſint animata, vt volunt nonnulli peripathetici. ſi ſic ergo talis gradus intelle

ctiuus erit eiuſdem naturæ cum gradu intel lectiuo noſtro. a quo tamen excipitur, per ly mortalibus, ergo ſi vnus erit incorruptibilis, & alter ſimiliter erit incorruptibilis.

VERUM poſſet aduerſarius obicere. dicens hoc maxime fore contra poſitionem noſtram, quia intellectiuum in mortalibus non poteſt ſe iungi nec ſeparari a Vegetatiuo & ſenſitiuo. ergo ſequitur, ꝙ anima intellectiua erit mortalis.

NISI eſſet, ꝙ ipſa anima, intellectiua, in corpore neq; ab eo ſeparata nunq̃ ſeparatur ab ipſis potentijs animæ vegetatiue & ſenſitiue: vt eſt in corpore, patet, ab eo autem ſeparata. anima intellectiua ipſas potentias retinet, vt in principio & in radice, vt ſupra ſatis clare eſt declaratum per doctrinam Diui Thomæ. dato igitur vno inconuenienti multa ſequntur, & hoc difficile nõ erit videre, & maxime in noſtro aduerſario. cum cogatur interpretari textum XXI. ſecundi de anima, vbi dicit Ariſt. De intellectu autem & potentia perſpectiua, quæ eſt perſpectiuus intellectus, aut ſpeculatiuus, nondum, enim, manifeſtum eſt, vtrum ſit anima vel ne, & vtrum ſibi competat diffinitio animæ ſuperius aſsignata vel ne, cum declaratum ſit animam ipſam intellectiuã ſecun-

ſecundum iſtas duas partes nullius corporis fore actum, & ſi de intellectu poſsibili hoc declaratū fuit. ꝙ nullius corporis eſt actus, a fortiori intellectus agens nullius corporis erit actus. quia maiorem immaterialitatem dicit mihi intellectus agens. q̃ poſsibilis. ſi ergo declaratum eſt. ſeparabilitatem intellectus agentis, quę eſt realis, a corpore. vt aduerſarius etiam noſter concedit, & omnes concedunt. oportet ergo. ꝙ talis ſeparatio intellectus poſsibilis ſit & ipſa realis & non formalis nec ſecundum quid.

SED aliquis hic diceret, tu dixiſti, ꝙ in ſuperioribus eſt declaratum, & tamen dicit hic Ariſtot. adhuc nihil manifeſtum eſt.

NISI eſſet. ꝙ nihil adhuc nobis eſt manifeſtum. vtrum ſit anima. vel ne, & vtrum diffinitio animę in communi competat animæ intellectiue vel ne, & hoc nobis potius eſt obſcurum per illa, quę ſunt ſuperius declarata, ꝙ nullius corporis ſit actus, & ꝙ ſit anima. quia anima dicit mihi actum corporis: dicit ergo Ariſt. ibi in textu xxi. ꝙ hoc genus animæ contingit ſeparari a corpore, & hoc eſt clarum. quia bene ſequitur ex illa conditionali. ſi anima habet aliquod operum proprium, contingit vtique ipſam a corpore ſeparari, & in textu xi. ſecundi de ani-

anima infert illud. quod ſequitur ex poſitio ne antecedẽtis, ꝙ ſcilicet nihil prohibet eſſe aliquas partes animæ. quæ non ſunt actus corporis, quod ſequitur ex poſitione antecedentis, ſcilicet, ꝙ anima habet aliquod operum proprium, infert modo Ariſt. iſto textu xxi. quod ſequitur ex illo conſequente. ꝙ anima ipſa habet aliquas partes reales quæ non ſunt alicuius corporis actus. ergo ipſa anima erit ſeparabilis ab illo corpore. nam dicit, & hoc ſolum contingere ſeparari: & dicit Ariſt. in illo textu xxi. videtur genus alterum animę eſſe. & hoc ſolum contingere ſeparari, & etiam translatio antiqua habet, videtur, & nota. ꝙ Ariſt. non dixit videtur reſpectu iſtius conſequentis, ſcilicet, videtur & hoc ſolum contingere ſeparari, quia Ariſt. habet hoc pro certo. ꝙ ipſa anima ſit ſeparabilis, quia vt dictum eſt, in primo & in ſecundo de anima patet hoc: ſed ly videtur habet referri ad illud, quod immediate ſequitur, vbi dicit. ſed videtur genus alterum animæ eſſe: quia de hoc non affirmat, neque negat, ꝙ propter hoc anima intellectiua ſit aliud genus animæ. immo potius ratione de ly videtur. ꝙ non ſit aliud genus animæ habemus dicere. q̃ ꝙ ſit aliud genus. vt eſt mos loquendi Ariſt. in ſuis proble-

blema-

blematibus. problemate. Vtrum nobilius ſit habere bonum ingenium q̃ ſtudere. Dicit Ari. videtur, & non dicit. ꝙ ſit nobilius habere bonum ingenium, cuius ſignum eſt, ꝙ multi negant ſe ſtudere, vt videantur ingenioſi, tamen in rei veritate ſtudere eſt laudabilius. q̃ habere bonum ingenium. nã tertio Ethicorum homo eſt laudandus: & vituperandus per illa. quæ ſibi inſunt a ſe, & non a natura. ſtudere autem ineſt homini a ſe: ingenium autem ineſt homini a natura: ita in propoſito, videtur. ꝙ ſit aliud genus animæ potius negatiue. ꝙ non ſit. q̃ ꝙ ſit: quia dato. ꝙ ipſa anima ſit actus corporis et, ꝙ aliquæ partes animæ ſint. quæ non ſint actus alicuius corporis, non tollitur propter hoc. ꝙ ſit aliud genus. immo eſt idem genus, & ſibi competit diffinitio animę, & hoc ſecundum Albertum, & Diuũ Thomam, & alios modernos: licet in via Auerrois ſecus dicendum eſſe, vt patuit dũ ſupra ſuam opinionem recitaremus: ſed bene verum eſt ꝙ. ſ. anima ſeparatur ab hoc. ſ. corpore, tanq̃ perpetuum a corruptibili. dato. ꝙ ſit idem genus animæ, quod patet per particulam inmediate ſubſequentẽ iſti particulæ. ſ. videtur genus alterum animæ eſſe, & hoc ſolum contingere ſeparari, ſicut per-

petuum

petuum a corruptibili, vbi ly. et. copulat di uerſa, quia ly. hoc, demonſtrat ens completum in natura ſua, quod eſt anima, non autem completum in ſpecie, ex eo ꝙ non eſt indiuiduum. Et nota, ꝙ per ly. hoc. non tá tum poteſt demonſtrari intellectus agens, quia non eſt ens completum per ſe, quia am bo intellectus conſtituunt vnā naturam cō pletam, vt patet tertio de anima in principio, nam ſine altero illorum anima eſſet incompleta: & vltra patet. quia natura illa eſt incorruptibilis, ex eo ꝙ ipſa eſt per naturam ante corporeitatem & contrarietatem, & habet ſuum eſſe non dependens a corpore, ſed corpus habet eſſe per eſſe ſuum. ex quo ſibi communicat, & hoc eſt cauſa incorruptionis, & propter hoc habet eſſe perpetuum & incorruptibile, & neceſſe eſt ſubſtantiam iſtam habere poſt mortem aliam vitam, & licet incipiat eſſe. quia tamen non accipit eſſe a corpore, aut ab aliqua eius cōmixtione, & propter hoc. quia non dependet ab ipſo: non oportet ꝙ ipſa anima corrumpatur: iſta ergo natura erit incorruptibilis, quæ eſt vterque intellectus, & eſt illa natura de qua loquitur Ariſt. in tex. XVII. tertij de anima, nón tantum ergo in textu XXI. ſecundi de anima per. ly. hoc demonſtratur

ſtratur intellectus agens, cum dixit, & hoc ſolum contingere ſeparari, vt volunt aduerſarij.

Praeterea adhuc non eſt aliquid nobis dictum de intellectu agente ab Ariſt. vſque ad iſtum textum x x i. ſecundi de anima, loquitur autem Ariſto. de intellectu. de quo loqutus eſt ſupra, qui eſt poſsibilis, ex eo. ꝙ non eſt actus corporis, vtrum ſit aliud genus animæ ab eo. quod fuit ſupra diffinitum,

Praeterea nonne Ariſt. in illo textu dicit De intellectu autem & potentia perſpectiua, nonne. ly. &, copulat diuerſa, & tamen per te copularet idem, vanum autem fuiſſet Ariſt. hoc feciſſe. cum ſemper fuerit breuis in ſuo ſermone.

Sed dicet aduerſarius. ꝙ. ly. &, tenetur expoſitiue, &, pro, ideſt.

Hoc non poteſt dici, quia ſi ſic: tantum ergo intelligit Ariſt. de intellectu poſsibili, quia illa potentia perſpectiua eſt intellectus perſpectiuus. qui eſt poſsibilis: ergo ſequitur. ꝙ ibi Ariſt. non tantum loquitur de intellectu agente in illo textu; vt vult aduerſarius: Vide igitur quantum iſte vir ſit alienus a via Ariſt. intelligitur ergo iſte textus principaliter de intellectu poſsibili. qui ſepara-

ne nanque in poſsibile forſam: hęc Ariſtot. ibi: vult Aduerſarius primo. ꝙ omnia. quę in tali textu dicuntur, ſtent ſub illa conditionali, & ex quo conditionalis nihil ponit ineſſe. in eo ꝙ conditionalis, non affirmat ergo Ariſtot. neque negat aliquam partem animæ remanere. relinquit ergo Ariſt. hoc ſub dubio, & tamen tenes ꝙ mens firma & certa fuerit Ariſtot. ꝙ anima intellectiua ſit mortalis: ergo in via Ariſt. hoc non erit dubium, & tamen interpretando illum textũ dicis. ꝙ loqutus eſt Ariſt. conditionaliter. ergo hoc ſub dubio reliquit: vide ergo. ꝙ noſter aduerſarius ſeipſum redarguit, & ſic eſt contra veritatem. quia veritas eſt. primo ꝙ remaneat, & ꝙ etiam ſit hoc ſecundũ mẽtem Ariſt. patet ex dictis ipſius in ſuperioribus expoſitis, & hic maxime apparet eius firma intentio, & ponit iſtum textum tanꝗ vnam concluſionem ſequentẽ ex dictis ſuis in libris de anima. qui textus ſic introducitur apud me. ſi autem aliquid remanet poſterius perſcrutandum eſt. loquitur Ariſto. de intellectu adepto. quem ponit ſub dubio vtrum remaneat. vel aliquid ſui. qui eſt in corpore acquiſitus, & ideo dubitat Ariſt. ſi ceſſante corpore ceſſet ille intellectus adeptus, non adhuc hoc Ariſt. determinauit, &

ideo

ideo dicit, ſe in poſterum hoc determinatu rum, & quid quale, & in quo conſiſtat fœlicitas humana, in eo ꝙ homo, ex quo ꝙ ipſe eſt intellectus. quia vnumquodq; denominatur ab eius parte nobiliori, & non conſiſtit fœlicitas humana in actu virtuoſo, licet ille actus præexigatur, tanq̃ via & medium ad ipſum intellectum adeptum acquirendum, & dixit de illo fine ſe determinaturum, tamen ſorte morte præuentus non potuit tractare de tali fine vltimo hominis: forte etiã compoſuit librum de hoc. ſed ad manus noſtras non peruenit. Et ſequitur Ariſt. dicens in eodem textu, in quibuſdam enim nihil prohibet vult dicere Ariſtot. ꝙ iſte intellectus adeptus, remanet poſt corruptionem corporis. nihil prohibet, ideſt dicimus ipſum remanere, quia eius ſubiectũ remanet. quod eſt intellectus poſsibilis verum totus iſte intellectus adeptus non remanet quia ſecundum aliquas partes corrũpitur, quas neceſſe eſt, vt habeat. quoad ipſe eſt cum corpore, vt accipere phantaſmata. vide ergo quomodo iſte textus verificatur, in quo non ponit Ariſt. ſub dubio, vtrũ anima intellectiua remaneat poſt corruptionem corporis, nam hoc eſt clarum ex dictis ſuperius, ꝙ.ſ. anima remanet, ſed Ariſt. ponit

nit ſub dubio.vtrum ipſa anima remanente poſt corpus remaneat talis intellectus adeptus. ex quo acquiſitus eſt in corpore.vtrũ recedente corpore ipſe intellectus adeptus recedat,vel ne,ex quo manet intellectus poſſibilis, qui eſt eius ſubiectum, & ſi intellectus poſsibilis non remaneret poſt mortẽ, non remaneret locus dubitationis, patet ergo. ꝙ iſta nota conditionis, ſi non ſe extendit niſi ad antecedens, & conſequens, quorum eſt illatio, neque habet vim diſtribuendi, vel confundendi, niſi terminos contentos in antecedente & conſequente. Tranſit deinde Ariſto.in eodem textu ad aliam propoſitionem cathegoricam de poſsibili,quæ eſt iſta. in quibuſdam enim non eſt impoſſibile, quæ æquiualet iſti poſsibile eſt in aliquibus.ſ.vt remaneant: nam negatio ꝑpoſita facit æquipollere ſuo contradictorio.

Praeterea arguo contra aduerſarium. ſi illa conditio. ſi, haberet vim ſupra totam,tunc illa cõditionalis eſſet falſa. quia oppoſitum conſequentis poterit ſtare cum antecedente.Vide ergo quantum iſte vir errauit in omnibus.non totam ergo anima remanet. non totus intellectus adeptus omni modo remanet, & hoc eſt impoſsibile.ſ.ſecundum. ꝙ eſt in acquiri. quia vt ſic indi-

get corpore, & hoc eſt impoſsibile, ꝙ remaneat, ſed forte poteſt permanere quia eius ſubiectum permanet, non relinquit ſub dubio Ariſt. de anima intellectiua. vtrũ remaneat vel ne, vt volebat aduerſarius, ſed relinquit ſub dubio, vtrum talis intellectus adeptus remaneat, & non merito conditionis, ſed ex ſuo modo loquendi, quia vtitur propoſitione de poſsibili, & non de ineſſe, & ſic patet expoſitio iſtius text. x v i i. duodecimi methaphyſi. ſecundum poſitionem, quam tenemus veram, & magis conſonam dictis Ariſtot.

ALITER et iſte textus poteſt inirodu ci & magis conformis opinioni, quam in preſenti exponimus, & ſic, ſi aliquid manet, poſtremo perſcrutandum eſt. vult dice re Ariſto. in iſto textu. in poſterum quæren dum erit. quidnam erit de ipſis animabus poſt ſeparationem earum a corporibus, & quæ nam vita erit ipſarum, & quod nam opus ipſarum, de hoc nihil hucuſq; eſt perſcrutatum, & ideo remanet de hoc in poſte rum perſcrutandum, cum aliqua anima remaneat, ſed non tota ſecundum genus animæ, quia non vegetatiua, neque ſenſitiua, vel non tota poteſtatiue, ideſt, non ſecundũ omnes ſuas potentias, ſed ſolum ſecundum

aliquas potentias, quæ ſunt intellectus, &c. ꝙ intellectus remaneat, non ponit Ariſtot. ſub dubio. quia hoc eſt demonſtratum & in primo & in ſecundo de anima. ꝙ manet intellectus poſt ſeparationem a corpore, ſi autem dicit Ariſto. aliquid manet, ideſt, ſi qua vita manet ipſarum animarum poſterius erit perſcrutandum, quænam ſit vita illa.

POTEST & tertio modo exponi ille textus, tenendo, ly. ſi. pro quia, & non conditionaliter, vt ſit ſenſus, quia aliqua pars animę vt intellectus, non tota, quia non vegetatiua nec ſenſitiua remanet poſt corpus. poſterius perſcrutandum de ipſis, & de eſſe ipſarum quia nihil hucuſq; dictum eſt. patet igitur quomodocunq; iſte textus introducatur, ponit Ariſto. aliquam partem animæ poſt corpus remanere, & ſecundū omnes illas tres introductiones non ponit Ariſtot. ſub dubio. vtrum anima intellectiua poſt ſeparationem a corpore remaneat. ſed habet hoc pro certo Ariſto. ꝙ remaneat.

SVNT & alij Thomiſte, qui & aliter introducunt hunc textum, & ſic. nam Ariſt. textu XVI. duodecimi methaphyſic. ponit differentiam inter cauſam formalem & agētem, vbi dicit, ꝙ cauſa agens pręcedit illud.

cuius eſt cauſa, nulla autem cauſa formalis præcedit rem, cuius eſt cauſa formalis, ſed ſimul eſt cum ea, & in hoc non eſt dubium, & ſequitur Ariſto. ibi dicens, & ſi nulli dubium ſit, ꝙ cauſa formalis non præcedit rẽ, cuius eſt cauſa formalis. dubium tamen eſt, vtrũ aliqua talis. ſ. cauſa formalis remaneat poſt corruptionem rei cuius eſt cauſa formalis. iſta eſt dubitatio ſatis ardua: cui dubitationi reſpondet Ariſtot. in textu x v i i. dicens, ſi aliquid remanet poſterius. i. poſt corruptionem compoſiti. perſcrutandum eſt, & ſequitur philoſophus ibi dicens, in quibus. n. i. in talibus formis nihil prohibet, vt. ſ. remaneant poſt corruptionem cõpoſiti. vt ſi eſt anima tale. i. remanens poſt. i. ſi eſt aliqua forma, quæ remaneat poſt corruptionem compoſiti, talis erit anima, & ſequitur Ariſto. magis ſe determinans, dicẽs. ſed non omnis. ſed intellectus. i. aduertas dicit Ariſt. ꝙ non omnis anima remanet poſt corruptionem compoſiti, ſed tantum intellectus. i. anima intellectiua, & ſequitur Ariſtot. dicens. omne nanque impoſsibile forſam, ideſt, forſam impoſsibile eſt, ꝙ omnis anima remaneat poſt corruptionem compoſiti.

Ex tali expoſitione inferunt Thomiſte duo

duo ad mentem Ariſtot. primum, ꝙ anima intellectiua eſt cauſa formalis hominis. aliter non eſſet dubium, vtrum aliqua cauſa formalis remaneat poſt. ſi igitur anima intellectiua eſt cauſa formalis. ſequitur. ꝙ eſt forma ſpecifica. hominis dans eſſe ipſi homini: ſecundum, ꝙ anima intellectiua eſt immortalis. cum remaneat poſt corruptio nem hominis.

PETRVS autem Pōponatius in ſuo tractatu. qui & ipſe tenuit ad mentem Ariſto. animam humanam eſſe mortalem, ſic intro ducit hunc textum XVII. ſi autem aliquod remanet poſterius perſcrutādū eſt. vult iſte bonus homo. ꝙ ly poſterius non cadat ſuper ly. remanet, ſed vult, ꝙ ly. poſterius cadat ſuper ly. perſcrutandum eſt. ita ꝙ velit dicere Ariſtot. ſi autem aliquod manet. poſterius perſcrutandum eſt, & hoc perſcrutatur Ariſtot. duodecimo metaphyſic. textu XXXIX. vbi Ariſt. habet expreſſe, ꝙ anima ſit mortalis, dicit. n. ibi Ariſt. deductio autem qualis optima paruo tempore nobis, de quibus verbis nos in poſterum aliquid dicemus, cum ſoluemus argumenta facta con tra noſtram poſitionem.

EST & text. xx. tertij de anima, in cuius expoſitione valde errat noſter aduerſarius,

ꝙ ſi iſte potentię manifeſtentur, non prout operantur in nobis. ſed ſecundum ſuas ſubſtantias. ſecundum talem comparationem non poſſumus dicere ꝙ intellectus poſsibilis quandoque intelligat, & quandoq; non intelligat, immo ſemper intelligit, ex eo ꝙ ſecundum talem comparationem coniungitur ſolum intellectui agenti, & non alicui phantaſmati: bene tamen verum eſt, ꝙ illa intellectio abſque phantaſmate eſt ſatis cõfuſa. quia ſolum eſt agens vniuerſale, quod eſt intellectus agens abſque agente particulari, quod eſt phantaſma. quod habet diſtinctam cognitionem cauſare. ſic ergo textus intelligatur. ſeparatus ſecundum ſubſtantiá ſuam a dependentia corporali. ſed ſolum cõſideratus in ſe, & ſic intelligitur tam de poſſibili q̃ de agente, quia Ariſtot. loqutus fuit de vtroque in ſuperioribus textibus, & eſt, ꝙ vere eſt. quia eſt inmortalis & perpetuus. quia ſecundum ſuam eſſentiam conſiderati ſunt perpetui & inmortales. licet vt comparantur ad ſpeculabilia, aliquando corrumpantur ſecundum quid ad corruptionem ſpeculabilis.

QVANTVM vero ad id. quod dicit iſte doctor de fœlicitate, ꝙ communis eſt animi conceptio, vt quemadmodum creditur, ho-

minem habere naturam intellectualem ſic & habitudinem, qui.n. putant partem ſubſtantialẽ:hominis eſſe intellectualẽ per ſuã ſubſtantiã ponũt capacitatẽ fœlicitatis ſimpliciter & æternę: qui vero ponunt hominem participare lumen intellectus agentis. putant etiam ſolum homiem participare ip ſam fęlicitatem ſecundum quid & ad tempus, modo Ariſt.x I I. meth.tex.x x x I x.inquit, qualis optima paruo tempore nobis.il lis autem intelligentijs perpetua atq; continua.ergo ineſt nobis lumẽ intellectus agẽ tis per participationem & non per eſſentiã.

DICENDVM, ꝙ homo per ſuam eſſen tiam eſt intellectualis naturæ, ita ꝙ eius for ma, per quam conſtituitur ineſſe ſpecifico, eſt intellectualis, a qua fluunt iſtæ duę potentiæ.ſ.intectus agens, & intellectus poſsi bilis, vt ſæpius dictum eſt. quæ ſi conſiderentur in ſe, vt dictum eſt. ſemper intelligunt, & continue morę intelligentiarum, licet modo imperfectiori, & ſic ſemper & cõtinue ſunt fœlices fœlicitate correſpõdẽ te intellectioni: ſi autem iſtę duę potentiæ comparentur ad nos: paruo tempore accidit eis. ꝙ talis fœlicitas duret, quia durat ratione ſpeculabilis. quod in nobis non ſemper durat, immo paruo tempore dutat, non

tamen

tamen ſequitur, ꝙ non ſimus fœlices. ſumus autem fœlices ſecundum quid. dum ſumus in acquiri, quia tunc participamus lumen intellectuale intellectus agentis plus & minus, ſecundum ꝙ ſpeculabilia in nobis fiũt. dum autem ſumus in acquiſito eſſe ipſius intellectus, tunc per ipſum intelligimus, & iſta eſt vera fœlicitas, quæ perpetuo continuoque durat, & hoc dico ſecundum iſtam viam. quia dato. ꝙ intellectus agens ſemper & continuo ſit coniunctus intellectui poſsibili, ex quo ambo radicantur in ipſa anima, & ſic ſecundum eſſe ſemper ſunt cõiuncti, non tamen ſecundum totum ſuum lumen intellectus agens illuſtrat poſsibilẽ, anteq̃ omnia ſpeculabilia intellexerit, & ideo non eſt ſibi coniunctus ſecundum operationem, niſi ſecundũ eſſe, niſi in fine adeptionis, quod non contingit ſic in ipſis intelligentijs, quia in principio ſunt in actu ſupremo intellectionis ſecundum earum capacitatem. quia non acquirunt noticiam ex phantaſmantibus, & in hoc ſecundũ iſtam viam non differimus ab Auerroe, quoad eorum intellectiuam operationem, verum ſolum quoad eorum eſſe.

AD formam igitur argumenti ſic dicimus. ꝙ per naturam capaces ſumus fœlicitatis.

tatis. quia in nobis ſunt principia ſecundũ naturam, quibus poſſumus ipſam cõſequi. modo iam alias expoſito: ſed ꝙ ſimus fœlices ſimpliciter. hoc eſt valde difficile. iuxta illud Poete. pauci. quos æquus amauit Iuppiter, & iuxta illud Euangelij. Multi ſunt vocati, pauci vero electi, & iuxta illud Pauli. Multi currunt ad prauium. ſed tantum vnus accipit, dato ergo, ꝙ ſimus fœlicitabiles per naturam. quia tamen anteq̃ intelligamus per ipſum lumen & per eius eſſentiam. quia nobis non vnitur niſi in poſtremo, & cum ſumus in via ſolum lumen ſuum fundit ſuper intellectum poſsibilem, & ſuper phantaſmata, quæ nos intelligimus per lumen intellectus agentis, & non per eius eſſentiam, & ſic iſto modo dicimur fœlices ſecundum quid, & reſpectu participationis luminis. & reſpectu ſpeculabilium, & iſto modo ſaluatur illa auctoritas Ariſto. XII. methaphyſic. ꝙ paruo tempore durat, & hoc erit reſpectu ſpeculabilium, & ſic Achilles Pomponatij ruit.

PRAETEREA Notandum ſecundum iſtos Modernos defenſantes iſtam ſuam opinionem fictam. pro ſolutione multorum textuum Ariſt. licet multa verba dicant potius oratorę probandę q̃ phiſice. omnia tamen

men, quę ab ipſis dicuntur, vera ſunt ſecundum maiorem partem, qui tamē poſtea inferunt concluſionem falſam, dicunt. ꝙ anima intellectiua eſt media inter materialia & inmaterialia, media in orizonte æternitatis & temporis, partim forma & actus corporis, partim non forma nec actus corporis. quia natura procedit paulatinę & non committit ſaltum a ſumo ad imum: concludunt poſtea iſti concluſionem falſam. ꝙ.ſ.anima intellectiua ſecundum ſuam eſſentiā ſit materialis temporalis mixta corruptibilis organica, & vniuerſaliter ponūt ipſam participare conditiones, quas aliæ formę materiales participant, dicunt tamen ipſam ſupremum gradum & locum earum obtinere, & eſſe in confinio intelligentiarum. quæ omnia atteſtantur fore vera vno modo, & alio modo falſa. vera.n.ſunt ſecundum quid. falſa autem ſimpliciter, quod eſt oppoſitum totaliter ipſorum. quod quidem totum patet eſſe probatum in ſuperioribus in articulo opinionis quam tenemus eſſe veram, & etiam in expoſitione textuum ſuper immediate ab aduerſario allegatorum: Dicam tamen vnumtantum, non video quomodo noſtri Aduerſarij interpretari poſsint textum illum Ariſt. ſecundi de anima x x i. vbi dici-

tur.

tur. ſeparatur hoc ab hoc tanq̃ perpetuum a corruptibili, nam volunt iſti. ꝙ hoc.i.ipſa anima ſecundum,ꝙ eſt intellectus ab hoc corpore ſeparatur. quia vt ſic anima eſt incorruptibilis ſecundum quid. quia ſecundum talem operationem. quæ eſt intelligere, & non ſecundum. ꝙ eſt anima ſeparatur, quia vt anima corrumpitur cum corpore, & eſt anima ſecundum rem, & ideo erit corruptibilis ſimpliciter: ſic exponit iſte.

Sed quæro ab iſto, cum dicit Ariſt. in illo textu. hoc ſeparatur. quid Ariſt.per.ly. hoc. demonſtrat, non operationem ipſam. quia ſemper per ly.hoc demonſtratur ſubiectum. vel demonſtratur nomẽ ſubſtantiuũ, vel ſe habens per modum ſubſtantiui, non ergo per ly hoc poteris demonſtrare ipſam operationem, neq; ipſa operatio ſeparatur a corpore maxime ſequendo hanc viã.quia non eſt intelligere ipſius animæ extra corpus: Neque per ly. hoc. poteſt demonſtrari ipſa anima ſub iſto reſpectu. vt eſt intelligens, nam falſum eſt. ꝙ anima vt intelligens ſeparetur a corpore ſicut iſta propoſitio eſt falſa. Pater ſub ratione qua pater eſt filius, cum pater & filius ſint termini diſperati ſecundum rationes ſuas formales. iſta tamen propoſitio erit vera. Pater eſt filius

proban-

probando ipſam reſolutoriæ: Et ideo cum per ly. hoc. non demonſtretur ipſum intelligere, neque ipſa anima vt intelligens. ergo neceſſe erit fateri. ꝙ Ariſt. per ly. hoc.demonſtret animam ſic abſolute non includẽdo ipſum intellectum neque preſcindendo, demonſtrabitur ergo per ly. hoc. anima ipſa ſic abſolute conſiderata, non qua anima vegetatiua vel ſenſitiua.quia vt ſic eſt actus, & ſecundum ꝙ erit actus non ſeparabitur, licet id.quod eſt actus. ſeparetur. demonſtratur ergo ipſa forma. ſecundum ꝙ abſtrahitur ab actu & ab intellectu,quæ ſeparatur ſecundum rem. ergo ſimpliciter ſeparatur, quia illa ſunt ſimpliciter ſeparabilia. quę ſecũdum ſuas eſſentias ſeparantur: & illa ſunt ſeparabilia ſecundum quid.quæ ſeparantur ſecundum aliquas conditiones. quæ in ſunt ipſis eſſentijs.

QVARE videns Aduerſarius hanc rationem noſtram. quæ concludit,dixit hunc textum tantum verificari de intellectu agente, & ideo cum dixit Ariſt.hoc ſeparatur ab hoc.i.intellectus agens ſeparatur a corpore. iſte bonus homo cupiens vitare Caribdim. incidit in ſillam. vt patuit ſupra. fuit demõſtratum. hunc textum non poſsit verificari ſolum de intellectu agente.

Si igitur per ly. hoc. demonſtratur ipſa anima vt anima abſolute.ergo neceſſe eſt. ꝙ detur vna forma intellectualis ſeparabilis a corpore ſecundum rem diſtincta a vegetatiua & ſenſitiua in alijs animalibus ab homine, in homine autem idem cum ipſis: ita ꝙ forma. per quam homo conſtituitur in eſſe ſuo ſpecifico eſt forma eſſentialiter differens a formis aliorum animalium addens ſupra gradum ſenſitiuum gradum intellectiuum. qui quidẽ gradus fluit ab vna forma ſubſtantiali. quæ dat eſſe corpori humano, & ipſum in ſpecie conſtituit. a qua etiam alij duo gradus.ſ. vegetatiuus & ſenſitiuus fluunt. vt ſupra declaratum eſt. quæ anima erit ſeparabilis ratione gradus intellectiui. dico. ſeparabilis. ſecundum rem. quia etiam ſeparatur ab alijs animabus ab homine, quæ omnes ſunt inſeparabiles, & ſi in homine inueniantur ſeparabiles pro quanto identificantur ipſi intellectiue. quę erit ſeparabilis.

Qvod etiam confirmatur. nonne Ariſtot.ponit tres gradus ipſius animę intellectiuæ.quę eſt forma hominis in omnibus autem alijs ab homine ponuntur tantũ duo gradus. vegetatiuus.ſ.& ſenſitiuus, dimittamus nunc de motiuo ſecũdum locum.ſi ergo per

go per gradum intellectiuum non intelligamus aliquam formam additam ſupra ſenſitiuam, quemadmodum ſupra vegetatiuam additur ſenſitiua verum ſolum circum loquimur ipſam formam ſenſitiuam eſſentialiter perfectiorem. q̃ ſit in alijs animalibus: Cum ergo ita ſit. quare Ariſtot. in omnibus alijs animalibus ab homine non fecerit mẽtionem de aliquo gradu perfectionis ipſius animæ ſenſitiuæ. ſecundum quem gradum vnũ animal ſit perfectius alio in ſpecie. immo omnes ſpecies animalium ſunt inequaliter perfecte eſſentialiter. quia aliter eſſent vnius & eiuſdem ſpeciei ſpecialiſsime.

POSSET ille dicere. ꝙ Ariſt. ſpecificauit de gradu intelleſtiuo in homine. quia multum ſuper excedit. non eſt autem talis exceſſus in alijs ſpeciebus.

CERTE iſta cauſa non poteſt ad hoc reddi. nam vt refert Albertus in ſuo de animalibus ſecundum opinionem communem. pigmeos fore animalia bruta, & maiori exceſſu excedere ĩperfectione ipſam muſcam. q̃ ipſi ab homine excedantur, quare illa non eſt bona cauſa.

ERIT ergo aſsignare aliã cauſam, & talis erit, quia animalia excepto homine cõicãt tantũ in gradu ſenſitiuo magis pfecto &

minus

minus perfecto eſſentialiter. homo autẽ habet aliam formã. ſecundũ quã forte ab alijs animalibus habebit differe plusq̃ ſpecie, qđ forte Albertus vidit in vigeſimo de animalibus capite v i. qui inquit, ex eo, ꝙ homo addit ſupra ſenſitiuum gradũ intellectiuũ. qui gradus ſenſitiuus facit differre animalia ſpecie, ergo ſecũdum talem gradum homo differet ſpecie ab aſino. adueniente autem gradu intellectiuo facit differe hominem ab Aſino plusq̃ ſpecie. cuius ſignum eſt. ꝙ irrationabiles vires hominis perſuaſibiles ſunt ratione. ſicut concupiſcibile & iraſcibile, & hoc non eſt in alijs animalibus. homo ergo plusq̃ ſpecie differt a bruto, & videtur ad ipſum habere quandam generis differentiã. cum ipſam animalitatem ſecundum differẽtem poteſtatem ab alijs animalibus participet: ſpecie ergo differunt aſinus & leo, plusq̃ ſpecie differunt homo & leo.

Amplius vellem ſcire ab iſtis ſic ponentibus talem opinionem, ꝙ. ſ. anima intellectiua ſit forma materialis de potentia materie educta, & per conſequens mortalis, a qua pullulat ſiue emanat iſta proprietas intellectus poſsibilis. quæ eſt de ſecunda ſpecie qualitatis. quę eſt naturalis potentia vel impotentia, ſicut ab ipſo homine fluit riſibilitas:

riſibilitas: nulli dubium eſt. ꝙ ſubiectum reſpectu proprie paſsionis vna cum agente, cum quo producitur, ad eius productioné concurrit in genere cauſæ efficientis. quia ipſa paſsio mediantibus ipſis principijs ſpeciei, quæ ſunt diffinitio ſpeciei. producitur, & ſunt ſicut agens in mediatum reſpectu productionis paſsionis.inter quæ & ipſam paſsionem eſt ordo eſſentialis: cum ergo nullus effectus naturalis excedat ſuam cauſam producentem. ex eo ꝙ totum eſſe. quod habet, & quomodocunque habet.habeat ab ipſo producente, quomodo igitur erit verum. ꝙ ipſa anima ſecundum rem tota totalitate eſſentie ſit educta de potentia materie,& ꝙ non omnes eius poteſtates ſint materiales, & ꝙ non operentur niſi cum organo: Et melius dixiſſent iſti. ꝙ ſicut organum totale eſt corpus.dico organū vt quod ſubiectiue, ita etiam eſt ipſius intellectus: Quod autem tota ſit educta de potentia materie, patet. quia ſi non: habet ergo anima aliquas partes. ſecundum quas non eſt educta, & aliquas. ſecundum quas eſt educta, aut ipſa anima conſtituitur ex iſtis duabus partibus in actu exiſtentibus,& ſic eſſet vna per aggregationem, & ſic eſſent duę animę. quarum vna erit ſenſitiua, & altera intelle-

ctiua, quod ipſi negant: aut vna erit in potentia ad alteram & altera ſe habebit per modum actus, gradus ergo intellectiuus cum ſit poſterior perfectior & formalior, erit actus gradus ſenſitiui, & ſic ſenſitiuum habebit eſſe per intellectiuũ, quod quidem intellectiuum non educitur de ſinu materiæ, & ſic tota anima totalitate ſuę eſſentiæ non educitur de potentia materiæ. quod erat oppoſitum illorum: partes autem. quæ in brutis educuntur de ſinu materię, in homine habent eſſe per ipſam animam. quę de tali ſinu non educitur. quia de facto fit. ꝙ in perfectũ habeat eſſe per perfectius, & non econtra: potentia ergo iſta intellectiua nullo modo poterit eſſe per ipſam animam ſenſitiuam. quia ipſa potentia non ad plus ſe extendit. q̃ ſuum ſubiectum. a quo producitur, quia habet eſſe per illud. ergo & operari: debent ergo iſti noſtri Aduerſarij dicere. ꝙ nima intellectiua qua intellectiua eſt immortalis ſimpliciter, qua vero ſenſitiua mortalis ſecundum quid.

AMPLIVS nonne ſecundum communem opinionem & maxime ſecundũ Diuũ Thomam in queſtione de ſimplicitate diuinę eſſentię, vbi dicit. ꝙ de deo non ſit demonſtratio, ex eo. ꝙ non habet diffinitionem,

nem, quia diffinitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione ſaltem totale reſpectu primæ paſsionis: Et ex hoc patet error quorundam in primo poſteriorum. qui volunt in via Thomę primam paſsionem eſſe indemonſtrabilem: ipſum ergo medium in demonſtratione propter quid eſt medium in inferendo in cognoſcendo, & in eſſendo, oportet ergo. ꝙ mediũ non excedatur neq; in eſſendo neque in cognoſcendo ab ipſo effectu, qui demonſtratur de ſubiecto, & hoc eſt. ꝙ ſint immediata & propria iuxta diffinitionem demonſtrationis primo poſteriorum. ꝙ ipſa debet eſſe ex primis veris immediatis & proprijs, & termini ingredientes demonſtrationem ſint conuertibiles: ſi ergo anima ipſa, quę ab Ari. diffinitur. ꝙ eſt actus corporis. habet poſtea ſubſe multas ſpecies. inter quas eſt anima hominis, quę etiã eſt actus corporis, de qua probatur. ꝙ ſit habens intellectum, per hoc. ꝙ ſit rationalis: probabitur ergo de anima intellectiua per hoc. ꝙ eſt actus corporis phyſici potentia vitam habentis. rationalem: patet ergo. ꝙ iſti termini ſunt conuertibiles, & intellectus non in ſe plus ſe habebit. ꝗ diffinitio. quod eſt medium, quod conuertitur cũ minori termino. qui eſt anima. ergo tale eſſe, quod

ſe, quod habebit anima. habebunt & alij duo termini, ſed anima per te eſt tantum materialis corruptibilis ſimpliciter, ergo & intellectus, quia eſſe animę eſt eſſe intellectus. quia eſt cauſa eſſe intellectus. ſicut cauſa eſt corruptibilis ſimpliciter, ita & effectus: ergo anima qua intellectus non erit inmmortalis ſecundum quid. probatur ſequela. quia quandocunque aliquod eſt tale ſimpliciter, ſi addatur alicui. quod eſt tale ſimpliciter, nunq̃ facit ipſum eſſe tale in eadem denominatione ſecundum quid. vt ſi intellectus eſt mortalis ſimpliciter. vt deduximus. ſi ſua ratio formalis adiungatur animæ. quæ etiam eſt per aduerſarium mortalis ſimpliciter, nunq̃ faciet ipſam mortalem ſecundũ quid. neque immortalem ſecundum quid: bene verũ eſt. ꝙ quando aliqua in oppoſitis denominationibus ſunt ſimpliciter talia, ſi coniungantur ad inuicem. alterum illorum denominabitur ſecundum quid tale in oppoſita denominatione: declaro. intellectus per te ſimpliciter eſt immortalis. anima eſt ſimpliciter mortalis, anima ergo ipſa qua intellectus, erit ſecũdum quid immortalis, & ipſe intellectus qua anima, erit ſecũdum quid mortalis, quia moritur ad mortẽ ipſius animæ, ſicut accidens corrumpitur ad corru-

ptionem

ptionem ſubiecti. modo non eſt ſic. ꝙ anima ſit ſimpliciter mortalis, & ꝙ intellectus ſit ſimpliciter inmortalis, vt probatum fuit: iſti ergo non poſſunt dicere. ꝙ ſecundum iſtos reſpectus anima & intellectus poſsint habere diuerſas denominationes neque ſecundum quid. neque ſimpliciter, ſed ſemper tenebunt eandem denominationem: ſi ergo ipſa anima ſit mortalis materialis & inſeparabilis, & ipſe intellectus erit talis. quod ipſi non poſſunt dicere in via Ariſtot. conſidera bene hoc argumẽtum. quia apud me habet maximam vim cõtra iſtam viam.

Amplius dicunt iſti noſtri aduerſarij. ꝙ intellectus abſolute & ratione qua intellectus eſt. eſt ſimpliciter immixtus immaterialis, & immortalis: qua vero humanus. eſt actus corporis organici vt obiecti, & ſic non ſeparatur, & non actus corporis vt ſub iecti, & ſic ſeparatur. quare nullum repugnans. quia reſpectu diuerſorum.

Contra hæc dicta arguo ſic. animã indigere corpore vt obiecto. hoc ſe tenet ex parte operationis. non indigere corpore vt ſubiecto. hoc ſe tenet ex parte eſſentie. ergo anima ſecundum ſuam eſſentiam erit ſeparabilis & immortalis, probatur. quia per non indigere corpore vt ſubiecto, ſecundũ

hoc eſt ſeparabilis. modo arguo ſic. quando vnum eſt denominabile a duabus diſpoſitionibus contrarijs ſimul, & ſi ab vna illarũ denominatur ſimpliciter tale, & ab alio ſecundum quid tale. illud eſt tale ſimpliciter per ſuam eſſentiam & naturam & per eius principia extinſeca, ſecundum autem quid tale per intrinſeca, & temporalia: do exemplum in via Galeni. ſecundum Truſianum maxime primo tegni. corpus ſimpliciter tale ſiue ſanum ſiue ęgrum eſt tale ſecundum naturam, & contrahit diſpoſitionem talem ſimpliciter a principijs generationis, vt patet in eius diffinitione, diſpoſitio autem ſecundum quid eſt cõtracta ex tempore & accidentalis. vt ſanitas vt nunc. quod quidem circumcernit tempus preſens modo ſic. animam non indigere corpore & ſubiecto ſe tenet ex parte ipſius eſſentie & eſſe, & vt ſic eſt ſeparabilis. ergo ſecundum eius eſſentiá erit ſeparabilis, & per conſequens inmortalis. ergo ſimpliciter immortalis: animam autem indigere corpore vt obiecto ſe tenet ex parte operationis & ſic anima eſt inſeparabilis mortalis. quod eſt quid poſterius ipſi eſſentie adueniens, cum operatio ab eſſentia proueniat: contrahet ergo talem denominationem ſecundum quid. anima ergo

humana

humana ſecundum quid erit inſeparabilis & mortalis, ſimpliciter autem ſeparabilis & immortalis. quod eſt totum oppoſitum noſtri aduerſarij.

PRAETEREA ſecundum iſtos intellectus qua intellectus eſt ſimpliciter immixtus immaterialis incorruptibilis: mixtus autem materialis & corruptibilis qua humanus. quia vt ſic coniungitur potentijs ſenſitiuis, & quia accidit eis coniungi, efficitur talis ſecundum quid: iſta ſunt dicta Pomponatij: modo cōtra eum arguo ſic. ſicut ſe habet potentia ad potentias. ita forma potentiarum ad formas potentiarum. ſed ipſe intellectus. qui eſt pars animę humane eſt talis ſimpliciter ſecundum ſe. mortalis autem ſecundū quid. prout accidit ipſum coniungi potentijs ſenſitiuis: ita & ipſa anima rationalis qua talis. erit immortalis ſimpliciter. qua vero coniungitur animę vegetatiue & ſenſitiue erit mortalis nō ſimpliciter. quia nihil poteſt denominari a duabus diſpoſitionibus ſimul ſimpliciter cōtrarijs. ſi ſic ergo anima mortalis ſecundum quid, arguitur ergo ſic ſyllogiſmo diuiſiuo. intellectus humanus eſt inmaterialis & materialis. vt patet per habita. ſed de hijs non ęqualiter participat, & vt probatū eſt in ſuperioribus,

ribus,eſt magis inmaterialis q̃ materialis, & ſic intellectus humanus erit ſimpliciter immaterialis. ſecundum quid autẽ materialis.

Amplius dicunt iſti. ꝙ non indigere corpore vt ſubiecto, eſt non recipi in corpore, vel non eſſe in corpore modo quantitatiuo. modo dicunt ipſam animam eſſe in corpore. quia ibi eſt anima. vbi eſt ſua operatio, non tamen eſt ibi per modum quantitatiuum. quia non eſt ſicut pars in parte. ſed eſt tota in qualibet parte,& propter hoc habet reflexionem ſupra ſe.

Sed contra hæc arguo ſic. ſi ſic eſſet. vt dicis. ſequeretur. ꝙ etiam ipſe intellectus agens in eo ꝙ agens intellectu tali modo eſſet in corpore, ſicut poſsibilis. quia eſt in corpore. ex quo eſt ibi ſua operatio,quia ſua operatio eſt in intellectu poſsibili ſubiectiue qui eſt in corpore,& ibi non eſt modo quantitatiuo patet.a fortiori ſi poſsibilis ergo & agẽs, & indiget corpore vt obiecto. quia ſicut poſsibilis non intelligit abſque phantamate.ita agẽs nõ creat intellecta ſine phantaſmatibus. ergo agens erit mortalis tali modo,quali poſsibilis.

Posset aduerſarius ad hoc meum argumentnm dupliciter reſpondere, primo. ꝙ officium intellectus agentis duplex eſt.

vnum

vnum eſt intelligere, & hæc eſt prima eius operatio, & magis ei intima. ſicut etiam eſt ipſis intelligentijs, & ſic intellectus agens non indiget corpore neque vt ſubiecto, neque vt obiecto, quia per ſuam eſſentiam intelligat. quia eſt in ordine intelligẽtiarum: ſecunda vero operatio intellectus agẽtis eſt creare intellecta, & hoc non fit ſine phantaſmate, & ſic intellectus agens indiget corpore, vt obiecto, & ſic eſt actus ipſius, ſicut intelligẽtia eſt actus mobilis, vt motor eſt, non qua intelligentia.

SECVNDA reſponſio. ꝙ creare intellecta reſpectu intellectus agentis eſt actio tranſiens, ex quo tranſit in paſſum. ex quo creat ea in intellectu poſsibili: intelligere autem ipſius intellectus poſsibilis eſt eius operatio in manens. ipſum perficiens, & ideo non ſequitur de operatione tranſeunte. ꝙ vbi ipſa eſt, ꝙ ibi ſit agens.

QVANTVM ad primam reſponſionẽ ſic nos dicimus, ipſum intellectum poſsibilem in eo ꝙ intellectus non in eo ꝙ humanus eſt ſimpliciter inmortalis, & ſic habebit operationem ſibi eſſentialem, quæ erit intelligere, quam poſtea communicat corpori, qua vero humanus vt ſic. corpore indiget, quia iſte actus eſt ſibi eſſentialis. vt

humanus,

humanus,non vt intellectus: ſed non eſt dif ferentia aliqua inter agentem & poſsibilem niſi in hoc. quia poſsibilis primam ſuam operationem communicat corpori: agens autem ſecundam ſuam operationem. ſ.crea re intellecta, quod non poteſt fieri ſine phã taſmatibus.

Ista tamen dicta patiuntur inſtantiã in hac noſtra via,quam non haberent in via Auerrois. quandoquidem ipſe intellectus agens indiget corpore in ſecunda ſui opera tione. ſicut in prima ſui operatione intellectus poſsibilis, & ſic non eſt omnimodo ſe parabilis ab ipſo corpore. licet maiorem ſe parationem dicat. q̃ poſsibilis. vt patet.

Secunda etiam reſponſio non militat. quia licet creare intellecta ſit actio tran ſiens. quia tamen talis operatio in via iſtorum ineſt intellectui per ſuam eſſentiam, & per ſuam eſſentiam intellecta creat. vbi ergo erunt intellecta. ibi erit & intellectus agens. quia in qualibet actione tam corporali q̃ ſpirituali agens & paſſum, vel ſaltem virtus agentis habent eſſe inſimul.modo cũ ipſe intellectus agẽs agat per eſſentiam eius: patet, ꝙ per eſſentiam ſit inſimul cum intellectu poſsibili.

Amplivs dicere ipſum intellectum, (intel-

(intelligendo per ipſum animam intellecti uam) eſſe materialem ſimpliciter, & non recipi modo quantitatiuo in corpore, apud me videtur ꝙ ſit contradictio. quia quælibet forma materialis. quæ de ſinu materiæ educitur, non educitur niſi mediantibus di ſpoſitionibus quantitatiuis & qualitatiuis. ſi ergo anima ſecundum talem gradum eſt materialis. quia eſt inſeparabilis a corpore, ex eo ꝙ ipſa indiget anima vt obiecto, per te, oportet ergo ipſam animam diſponi talibus diſpoſitionibus.

SED diceret ille. bene verum eſt. ꝙ eodem modo. quo indiget, diſponitur ipſa materia. vt fiant organa, vt ipſa anima poſſit recipere.

CONTRA vt ſic eſt forma hominis dãs ei eſſe, ex quo homo eſt rationalis, & nulla forma inquantum forma dat eſſe materiæ niſi diſpoſitæ.

VLTERIVS ipſa anima conſtituitur in ſuo eſſe. anteꝗ operetur, ſaltem prioritate naturæ: quæro, remota eius operatione, nonne ſi debet educi de ſinu materiæ, oportet ꝙ ipſa materia diſponatur, pro ſui eſſe.

AMPLIVS ad hoc. ꝙ forma verbi gratia humana debeat conſeruari in materia, nonne oportet, ꝙ complexio naturalis hominis

minis conſeruetur, certum eſt. ꝙ ſic. teſte Galeno in libro de virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus. inquit ibi multa alteratione facta in cõplexione neceſſe eſt animam confeſtim exire. vt infrigidato aut calefacto nimis corpore, & tamen ipſa complexio primo debetur mẽbris ſimplicibus, ſecundario organicis. ergo nulla alteratione facta in ipſis membris organicis per poſſibile vel impoſsibile. anima exibit a corpore. ergo in illo priori anima intellectiua indiget diſpoſitionibus qualitatiuis & quãtitatiuis in ipſa materia, ad hoc. ꝙ in ea conſeruetur ergo non tantum vt fiant organa, & ſic indigebit corpore vt ſubiecto.

Praeterea iſta conſequentia valet, educitur de potentia materiæ, ergo conſtituitur ineſſe per ipſam, ergo indiget corpore vt ſubiecto, & ſic recipitur in ipſo modo quantitatiuo, & per conſequens non poterit habere reflexionẽ ſupra ſe, quia quod eſt extenſum ad extenſionem quantitatis non poteſt reflecti ſupra ſe. quia reflecti ſupra ſe nihil aliud eſt. q̃ totum ſit ſupra totum. totum autem quantitatiuum. quia habet partes extra partes, & ideo non poteſt habere totũ ſupra totũ. quia ille partes ſunt aſsignabiles, & ſic non poterit comprendere vniuer-

re vniuerſaliter, ex quo eſt virtus arctata ad hic & nunc, ex quo ſubiectum in quo fundatur, eſt taliter arctatum. Nec valet ꝙ ipſum ſubiectum ſit taliter arctatum, & ipſa potentia in eo ꝙ talis ſit abſoluta ab hic & nunc, quod ſuperius deductum eſt. quia nó altioris eſt eſſe potentiæ q̃ ſit eſſe ſubiecti.

Sed poſſet dicere Pōponatius. ꝙ iſtud argumentum ſicut militat contra ſe. ita & militat contra ſanctum Thomam, licet hoc argumentum in via Auerrois nullius ſit valoris.

Sed ego dico. ꝙ ſecus eſt & de te, & de Thoma. nam nos inſequentes viam Thomę ponimus ipſam animam inmaterialem immortalem ſimpliciter. mortalem autem ſecundum quid, & ſic dicimus ipſam potentiam animæ, quæ eſt intellectus eſſe inmaterialem ſimpliciter. quia potentia coequatur formæ, cuius eſt potentia, & non excedit ipſam formam. cuius oppoſitum eſt in via tua o Pomponatiæ, qui ponis animã materialem, & mortalem ſimpliciter, & intellectum eius potentiam inmaterialem & inmortalem ſimpliciter, quia ergo forma materialis in eo ꝙ materialis eſt, determinat ſibi materiam diſpoſitam, erit in corpore per modum quantitatiuum. Qui autem po
nunt

nunt animam ipſam inmaterialem ſecundũ ſuam eſſentiam. ponunt ipſam animam non exigere debitam materiam in eo ꝙ talis, niſi inquantum identificatur vegetatiuæ & ſenſitiuę, quæ ſecundum tales gradus exigit materiam diſpoſitam & qualitatiuæ, & quãtitatiuæ. quia ipſa anima intellectiua eſt adeo a materia eleuata. ꝙ erit id. quod eſt. ratione intellectus, & id, quo aliquid eſt, ratione gradus vegetatiui & ſenſitiui, quia eſt id, quod formæ inmateriales continent in virtute. quod formæ materiales, & ideo eſt magna diſparitas inter te & Thomam.

Nec valet, ꝙ iſti dicunt, ꝙ bene verũ eſt. ꝙ anima non eſt in materia niſi cum tali diſpoſitione, non tamen ſequitur. ꝙ per tales diſpoſitiones intelligat.

Istvd dictum nihil valet. quia vnumquodque operatur. ſecundum ꝙ habet eſſe. ſed intellectus habet eſſe in iſta forma materiali, ſecundum ꝙ ipſa habet eſſe in tali materia cõplexionata taliter, ergo taliter habebit operari, ergo non vniuerſaliter, & dato. ꝙ oculus non videat per caliditatem, tamen non videt niſi ſingularia materialia nõ abſtracta ab hic & nunc ratione formę coarctate in tali materia complexionata, & ſimiliter nõ poterit recipere omnes formas ma-

teriales

teriales, ex eo ꝙ ipſa eſt materialis, impeditur a cognitione materialium, quia recipiẽs debet eſſe denudatum a natura recepti.

Sed dicet ille, & ſi dixerim animam intellectiuam eſſe materialem ſimpliciter, immaterialem autem ſecundum quid. ideo nõ prohibetur a cognitione materialium, cum ipſa ſit inmaterialis ſecundum quid.

Hoc dictum ego non poſſum capere, quia per Pomponatium anima ipſa intellectiua plus eſt materialis q̃ inmaterialis, quia eſt materialis ſimpliciter per te, & inmaterialis ſecundum quid, ergo plus impeditur a cognitione materialium q̃ viuetur.

Vlterius quod eſt ſimpliciter tale reſpectu cuiuſcunque comparetur, erit tale, ergo ipſa anima intellectiua reſpectu omnium formarum materialium erit materialis, & ſic non poterit eas recipere, vt ſi oculus eſſet coloratus colore viridi, impediretur a receptione aliorum colorum, ſic itaq; ex omnibus iſtis conuincitur ipſam animã intellectiuam eiusque intellectum fore immortalem ſecundum ſuam eſſentiam & ſimpliciter. ſecundum quid vero mortalem & caducam cum corpore, ex eo ꝙ amittit operationes vegetatiuæ & ſenſitiuæ animæ, ex eo ꝙ non poſſunt perfici niſi mediante cor

pore

pore vt ſubiecto, & vt obiecto, licet retineat in radice earum potentiás, ſecundum quas tamen non dicimus ipſam animã ociari, quia nõ eſt propter illas, ſed ille ſunt propter intellectũ. qui amplius viget a corpore ſeparatus. ſ. quoad vti ipſa intellectione, nõ dico autẽ quoad acquiri, & ſic ſecundũ iſtã viam, omnia, quæ ſunt ſecundum veritatem & apparentiam ſaluabuntur, & totus mundus vniuerſaliter perſuadet, & cogit homines bene viuere, & eſſe virtuoſos magis ꝗ ſecundum oppoſitam opinionẽ, nam fœlix eſt illa neceſsitas, quę hominem ad bonum cogit, ſicut multi deputato & ſtatuto ſibi pręmio laborum ſuorum ardentius peragunt. quæ peragenda ſunt, vt tale præmium conſequantur, & magis merentur dicit uirtuoſi, quando faciunt talia ſpe talis præmij, ꝗ ſine, quia illud præmium eſt quid excellentius ipſo actu virtuoſo, bene verum eſſet ſi illud præmium eſſet vilius, ſicut ſunt bona temporalia, vt propter pecuniam aſſequendam, aut propter alia ſimilia: quia iſte operationes morales non ſunt tantum propter ſe, verum propter habitum acquirendum, qui habeat ipſam animam ſecundum ſupremam eius partem perficere, & hoc eſt, quod dicit Ariſt. decimo Ethicorum cap. x.

Eſſe

Eſſe vero perfectam fœlicitatem contemplatiuam quandã operationem, ex eo patebit, ꝙ deos maxime exiſtimamus fœlices ac beatos eſſe, patet ibi; ꝙ ſecundum Ariſtot. noſtra fœlicitas conſiſtit in ipſa contemplatione, tanq̃ in vltimo fine, quod patet a ſigno. quia nos maxime exiſtimamus deos fœlices, ex eo, ꝙ ſint in illa continua contemplatione, & in ſuprema parte ipſius animæ, ſecundum quam remanet poſt mortẽ, quia eſt operatio, quæ non indiget corpore vt ſubiecto neq; vt obiecto, niſi in acquiri, cum corpori eſt coniuncta, vt ſuperius declaratum eſt, & iſta non contradicunt in aliquibus dictis Ariſtot. immo probabilius ex ipſis deducuntur, q̃ illa, quę ſequntur ad opinionem oppoſitam, neque erit mirandum de ipſo Ariſt. ſi nihil explicite dixerit de tali materia. quia nihil voluit Ariſt. ponere affirmatiue, niſi cum fortiſsima ratione poneret, vt patet octauo. phyſicorũ: Turpe eſt philoſopho dicere aliquid ſine fortiratione, cum hoc tamen ſtat, ꝙ multa ſunt vera, & aſſentit Ariſtot. ea fore vera, quæ tamen non habent rationem ita euidentem, & ideo Ariſtot. non ea ponit, neque negat. ſicut etiam patet de dæmonibus, ponit tantum tot intelligentias, quot orbes, per quos

probantur eſſe, non tamen poſtea negat, ꝙ non ſint alie intelligentiæ: Patet itaq; ex dictis veritas opinionis noſtre: quæ magis elicitur ex dictis Ariſtot. & magis ad mentem eius, q̃ opinio oppoſita.

Iste ergo tres opiniones de anima intellectiua in via Ariſt. dimiſſa opinione Alexandri ſunt maxime famoſe,& conuincitur vnam earum fore veram in dictis Ariſt, quę ergo participabit de vtraque opinione id, quod verum ille aſſerunt dimittẽdo falſum, illa erit vera. quia ſemper quælibet opinio famoſa habet aliquid veritatis, vt patet ſecũdo metha. cum ergo opinio quam tenent latini Auicenna Algazel & communiter omnes doctores Eccleſiæ, vt Hieronymus Auguſtinus Gregorius & Diuus Thomas & infiniti alij,ſit illa opinio,quæ participat de vtraque opinione, & ſit media veritatem vtriuſque amplectens,falſitatemque dimittens, talis erit vera: probatur hoc. nam hęc noſtra opinio cõuenit cum Auerroe in duobus & diſſentit ab eo in duobus,nam conuenit. ꝙ anima ſit ſeparabilis & æterna parte poſt: conuenit etiam, ꝙ anima ſit ſimpliciter & ſecundum ſuam eſſentiam immortalis: diſſentit autem hæc noſtra opinio ab Auer.primo, quia nos tenemus animam ipſam

ſam non æternam a parte ante, ſed incipere cum corpore: ſecundo. quia Auerroes ponit vnicam animã numero in omnibus hominibus, nos autem eam tenemus multiplicatam ad multiplicationem corporum, vt tot animæ, quot corpora fuerunt ſunt & erunt: Similiter & iſta noſtra opinio conuenit cum tertia opinione in duobus, & diſcrepat ab ea in duobus: primo conuenit tot eſſe animas, quot corpora: ſecundo conuenit. ꝙ ipſa anima incipit eſſe cum corpore, & hoc eſt verum, ꝙ iſta opinio hæc tenet: Diſcrepat ab illa, primo, quia illa opinio tenet, quod anima humana ſit materialis, ſecundo, quia & tenet, ꝙ deſinit eſſe cum corpore, nos autem tenemus ipſam eſſe immaterialem, & immortalem: Ex quibus patet. ꝙ hæc tertia opinio diſſentit in omnibus cum Auerroe, nam iſta ponit animam ſimpliciter mortalem. Auerroes ſimpliciter immortalem: iſta ponit animam incipere cum corpore. Auerroes vero æternam. iſta ponit animas multiplicatas. Auerroes vero vnicã numero in omnibus hominibus. iſta ponit animam materialem. Auerroes vero immaterialem: Patet igitur, ꝙ iſta noſtra opinio. quæ ponit animam immaterialem incipere cũ corpore remanere poſt corporis diſſolu-

tionem, & multiplicari ad multiplicationẽ corporum, ſit vera ſecundum Theologos latinos græcos & Hebræos & breuiter ſecũdum omnes tres leges, & ſecundum principia Ariſtotelica, vt maxime fuit ſtabilitum ſupra.

Tertia pars tertij articuli, in qua ponuntur argumenta opinionis contrariæ.

VERVM non ſolum oportet ſcire quid eſt, & ꝙ ſint de ipſo demonſtrabiles paſsiones, verum etiam oportet ſoluere argumenta. quę fiunt contra ipſum quod quid eſt, & ideo deueniamus ad vltimam partem iſtius noſtri queſiti, in qua adducemus argumenta partis oppoſitæ, & ea ſoluemus, & annihilabimus, & quoniã ex dictis noſtris ſuperius patere poſſet reſponſio ad omnia argumẽta, vt tamẽ formalius reſpõſiones pateãt, ſolum adducam illas obiectiones quas iſti moderni adducunt, & inmediate ponam earum ſolutiones.

PRIMVM ergo argumẽtum, quod iſti adducunt eſt tale, & ſtat in hoc. quia tu petis principium, quia conſimilibus rationibus, quibus probas animam proprie & ſimpliciter eſſe immortalem, ego etiam pro-

babo ipſam eſſe proprie & ſimpliciter mortalem: in proprie autem & ſecundum quid immortalem, & ſic, ex eo.n. ꝙ talis eſſentia omnes formas materiales recipit, & ꝙ recepta in ea ſunt actu intellecta, & ꝙ non vtitur organo corporali, tu arguis immaterialitatem ſimpliciter ipſius animę: ita pariter ego dicam, ꝙ cum ipſa materialiter operetur, vt vegetatiua, & non omnes formas recipit, vt ſenſitiua, & organo vtitur corporali, temporalia & caduca affectat, probabiliter ipſam vere & ſimpliciter fore mortalem aſſeram, verum ex ea parte, qua anima eſt intellectus eſt ſecundum quid immortalis, quia intellectus in eo ꝙ intellectus eſt in corruptibilis ſimpliciter, ſed in eo ꝙ coniunctus, corruptibilis eſt ſecundum quid, & ſecundum ꝙ talis fungitur inſtrumento corporali, quare non videtur ꝙ ſit maior ratio de vno ꝙ̃ de altero. immo plura ſũt promouentia in ipſa eſſentia animę ad faciendũ ipſam eſſe mortalem, ꝙ̃ immortalẽ: & cũ denominatio fiat a ſuperabundãti, magis pronuncianda erit, ꝙ ſit mortalis, ꝙ̃ immortalis: probatur autem, quod plura ſunt atteſtãtia in ipſa anima mortalitatem, quia tantũ ſunt duæ potentiæ atteſtantes ſuper ipſam immortalitatem, videlicet intellectus & vo
 luntas;

luntas: infinite quodammodo ſunt potentie, atteſtantes ſuper eius mortalitatem, vt patet, quare &c.

SECVNDVM argumentum iſtorum eſt a ſigno. nam dicunt iſti, ſi conſideres totum genus humanum in omnibus ſuis climatibus habitabilibus fere totum a rationalitate ad irrationalitatem declinat rariſsimi enim ſunt, qui ſint rationales, & cum natura non fruſtretur in maiori parte ſui ſubiecti, ergo eorum natura potius erit irrationalis, q̃ rationalis, & ſi dicantur rationales, non dicuntur niſi in comparatione ad alios maxime beſtiales, quare, &c.

CONFIRMATVR hoc etiam a ſigno ex pauca cognitione noſtra, quam nos habemus de dijs, & etiam de ipſis naturalibus, quæ ſubiacent ſenſui, quæ eſt adeo obſcura adeo confuſa. ꝙ noſtrum potius eſſet facere de ipſis propoſitiones negatiuas q̃ affirmatiuas.

PRAETEREA videmus ad experientiam. quantum modicum temporis apponant homines circa intellectum ipſum, & quantum multum temporis apponant circa ipſas potentias ſenſitiuas, & vegetatiuas, cum ergo iſte ſit effectus naturalis, quia in maiori parte ſuę ſpeciei, & in maiori tempore,

pore,

pore, habebit igitur cauſam naturalem, quę erit ipſa natura materialis animæ, quæ inclinatur ad talia caduca & morticinia, quare videtur ex hijs poſſe conuinci animam eſſe materialem & mortalem.

Tertio & principaliter arguitur ſic. quæro a te o Thomiſta, ex quo animā eſſe immortalem non eſt per ſe notum, qua euidentia cognoſcitur, ꝙ ſit immortalis, vel ex eo, ꝙ in ſuo opere non indiget corpore tanq̃ ſubiecto præciſe, vel cum alio addito, primum dari non poteſt, per ipſum Ariſto. primo de anima textu XII. quia ad inferendam inſeparabilitatem ſufficit alternatiue: vel ꝙ ſua operatio ſit in ſubiecto, vel ꝙ indigeat corpore tanq̃ obiecto. ſi igitur intelligere eſt, aut phantaſia, aut non eſt ſine phātaſia, oportet ergo, ꝙ ſi anima ſit ſeparabilis, ꝙ non ſit phantaſia, & ꝙ ſit ſine phantaſia ſaltē in aliqua ſui operatione, & ſi qua eſſet talis operatio eſt intelligere, hoc autē non fit ſine phantaſia, cum neceſſe ſit, ſemper intelligentem phantaſma aliquod ſpeculari. ergo intelligere non erit ſaltem ſine phantaſia. ergo anima inſeparabilis a corpore.

Qvarto arguitur ſic, ſi anima humana dependet in omni ſuo opere ab organo,

ipſa eſt inſeparabilis & materialis, ſed in omni ſuo opere dependet ab organo, ergo materialis eſt, maior patet per Ariſtot. primo de anima, vbi dicit ſi intelligere aut eſt phantaſia, &c. minor etiam patet ex diffinitione ipſius animæ, ꝙ eſt actus corporis phiſici organici, ergo ſequitur. ꝙ anima ſit materialis.

POSSET dicere Thomiſta ad hoc. ꝙ anima quoad intellectum non eſt actus corporis, bene quoad vegetatiuam, & ſenſitiuam eſt actus corporis.

ISTVD dictum non poteſt ſtare, quia ſic anima intellectiua non eſſet anima, cum vt ſic nõ eſſet actus corporis, ꝙ eſt cõtra Ariſto. ponẽtẽ diffinitionẽ animæ cõem omni aĩæ. immo Diuus Tho. dicit ipſam diffinitionem animæ eſſe vniuocam omnibus animabus, ergo ſi anima eſt actus corporis phyſici organici q̃tum ad ſenſationem, hoc eſt pro ſua intellectione, ergo in omni ſuo intelligere indiget phantaſia, ergo materialis.

HVIC forte poſſet dici a Thomiſta ꝙ non eſt neceſſe animam intellectiuam actu ſemper dependere ab organo q̃uis organũ ponatur in eius diffinitione, ſed ſufficit ꝙ aptitudine, ſicut moueri ſurſum eſt diffinitio leuis, quantumcunque leue non ſemper

moueatur ſurſum, ſed ſufficit, ꝙ poſsit moueri.

Haec reſponſio patitur nonnullas inſtantias, prima eſt, ꝙ ſi ſola aptitudo ſufficit in diffinitione, tunc poſſet dici, quod aliquid eſſet homo, & tamen actu non eſt animal rationale: ſufficit enim ſecundum reſponſionem, ꝙ eſſet animal rationale aptitudine.

Secunda inſtantia, quoniam ſi anima aptitudinaliter dependeret a corpore, non minus eſſet inſeparabilis & materialis quamuis actu non dependeret.

Ad has inſtantias dicunt nonnulli Thomiſte, & ad primam. ꝙ illa diffinitio animę non eſt proprie diffinitio, ſed ſolum eſt quędam deſcriptio.

Ad, ſecundam inſtantiam dicunt. ꝙ dependere a corpore ſecundum aptitudinem tantum non arguit inſeparabilitatem & materialitatem, ſed actu dependere ab ipſo corpore, arguit inſeparabilitatem & materialitatem animæ.

Sed adhuc inſtatur contra reſponſionem ad primam inſtantiam, quia omnes dicunt iſtas diffinitiones animę eſſe veras diffinitiones, & vnam datam per cauſam formalem, & alteram per cauſam materialem, & per

& per vnam demonſtrari alteram.

RESPONSIO etiam ad ſecundam inſtantiam peccat, quoniam ſi ipſa anima habeat duos modos intelligendi vnū per phantaſma, alterum ſine, videtur multum irrationabile, ꝙ ſubſtantia immaterialis moueatur à re materiali, nam quantumcunq; inmateriale agat in materiale, non tamen videtur actionem conuerti.

SECVNDO ſi anima habet aptitudinē ad corpus, aut oportet ponere reſurrectionem, vt Democritus ponebat, aut tranſmigrationem animarum ad alia corpora, vt Pithagoras: ſi vero non reuniatur anima corpori, hoc eſt contra ordinem naturæ: octauo nanq; phyſicorum textu x v. Ariſto. impugnat Anaxagoram ponentem mundum non fuiſſe per infinitum tempus, & poſtea incepiſſe, nam natura procedit vno modo naturæ. vel pluribus. ꝙ ſi pluribus ordinate tamen, ſed finiti ad infinitum nullus eſt ordo, neque proportio, quare ſi anima finito tempore eſt corpori coniuncta, infinito autem tempore ſeparata non ſtabit ordo naturæ.

TERTIO iſti modi diuerſi eſſendi & operandi videntur arguere diuerſitatem eſſentie, quia ſi hoc ſtaret, non eſſet nobis via

ad probandum diuerſitatem ſpecificam for marum, quia ipſa operatio & modus operandi arguit formam primo phyſicorum.

QVOD etiam arguitur auctoritate Ariſto. ſexto de hiſtorijs animalium ca. xxIIII. vbi habetur. ꝙ Mulæ quæ ſunt in Siria pariunt, noſtræ autem non pariunt. videntur tamen ſimiles in omnibus, & hoc non eſt propter aliud niſi, quia non ſunt eiuſdem ſpeciei, quod arguitur, propter tam diuerſum modum generationis habere: Et videtur Ariſt. velle per totum illum librum. ꝙ genita per propagationem & per putrefactionem non ſint eiuſdem ſpeciei, quod & Auerroes contra Auicennam, qui vult. ꝙ non tantum perfecta ſint eiuſdem ſpeciei, ſed etiam imperfecta, vt Conciliator vult in ſuis differentijs.

QVOD etiam confirmatur auctoritate Auerrois in libello de ſomno & vigilia qui dicit, ꝙ ſi eſſent homines, qui non eodem modo cognoſcerent, ſicut nos non eſſent eiuſdem generis nobiſcum.

VLTERIVS confirmatur hoc, quia dicit Ariſtot. primo Ethicorum contra Platonem diuturnitatem temporis non auferre ſpeciem, non ergo probare poſſumus ipſam animã eſſe materialem. quia coniuncta corpori

pori toto tempore, quia ſicut coniuncta cor pori paruo tempore non tollit materialitatem: ita toto tempore coniuncta non tollit.

Qvod confirmatur, quoniam ipſa intelligentia in mouendo orbem ſemper dependet a corpore & tamen ipſa ſic dependens eſt inmaterialis, ſic & intellectus, dato, ꝙ ſemper ſit coniunctus corpori, non ſequitur propter hoc. ꝙ ſit materialis, & concedimus hoc in via Auerrois, vt ſupra expoſitum eſt, in hac autem via ſecus eſt dicendum, vt patebit in reſponſionibus, quia in hac via ſequitur, ꝙ anima habet remanere poſt mortem, aut. ꝙ ipſa intelligit ſine phantaſmate, quod noſtri aduerſarij habent pro maxima hæreſi in via Ariſt. aut, ꝙ infinito tempore ociabitur, & pauco tempore habebit ſuam operationem, quod eſt maximum inconueniens in philoſophia, aut ſequitur hoc. ꝙ ſi ſeparata infinito tempore intelliget abſque phantaſmate, & paucisſimo tempore cum phantaſmate, ſequitur ergo, ꝙ naturalius inerit animæ intelligere ſine phantaſmate q̃ cum phantaſmate, & ſi ſic ipſi corpori vniretur anima violenter, quia contra motum naturæ, & ſic non fieret vnũ per ſe ex corpore & anima: quare ſtat ad huc argumentum, ꝙ anima ſit materialis.

Quinto

QVINTO principaliter arguitur, quia talis eſſentia per te vere eſt vegetatiua & ſenſitiua, vel igitur poſt ſeparationem a corpore habet potentias. quibus poteſt exercere ſua opera vel non habet, ſi dicas. ꝙ non habet. hoc videtur inconueniens, ꝙ toto tempore poſt ſeparationem ſit manca & priuata totaliter, niſi recuratur ad reſurrectionẽ Democriti, vel ad fabulas Pithagoreas: ſi autem dicas, ꝙ anima ipſa poſt ſeparationẽ a corpore habeat illas potentias. ſ. vegetatiuam & ſenſitiuam, cum tunc anima careat organis, quibus fungitur pro proprio opere ęterno tempore. ſequitur, ꝙ illę potentię ibi erunt vanę & fruſtra, quod maxime eſt abhorrendum in philoſophia.

SEXTO arguitur ſic. verius debet dici ipſa anima ſecundum quid inmaterialis inmortalis modo ſuperius expoſito. ꝗ ſimpliciter inmaterialis inmortalis, hoc patere poteſt per ipſum Ariſt. tertio de anima capite de intellectu agente, ibi enim cum dixiſſet Ariſtot. vtrunq; intellectum eſſe ſeparatum & immortalem, dixit poſtea in textu xx. ſed hic. ſ. intellectus agens vere eſt. qui immortalis & ſemper intelligens, ille vero. ſ. poſsibilis non. cum quandoque intelligat, & quandoque non intelligat, corrumpitur,

enim

enim interius quodam corrupto, quod eſt, quia eſt coniunctus materiæ, quare ad corruptionem ſenſitiue corrumpitur & intellectus, erit igitur corruptibilis re. ſecundum quid autem incorruptibilis: quoniam intellectus, qui non eſt coniunctus materiæ, eſt incorruptibilis.

CONFIRMATVR vlterius. quia talis anima eſt vere forma hominis, & non tantum vt motor, quod concedimus & nos & aduerſarij, ſi ponatur. ꝙ ſit materialis, nulli dubium eſt. ſi vero ponatur, ꝙ ſit immaterialis, vt ponimus nos & ſanctus Thomas non eſt notum, cum oporteat talem eſſentiam eſſe hoc aliquid, & per ſe ſtans. quomodo igitur fieri poterit vt anima ſit actus & perfectio materiæ, cum tale actus materiæ ſit non quod eſt, ſed quo aliquid eſt, vt patet ſeptimo methaph.

QVOD ſi forte diceretur a Thomiſta. ꝙ inter formas dantes eſſe materiæ hoc fore peculiare ipſius animæ humane, ꝙ ſit id, quod aliquid eſt.

HOC tamen videtur eſſe voluntariæ dictum, & ſic ſecundum hoc poſſent dicere Auerroiſte. ꝙ anima intellectiua eſt forma dans eſſe, & non tantum operari, cuius oppoſitum tenet Auerroes.

Vlte-

VLTERIVS dicit iſte. ꝙ maxima inſurgit difficultas de eſſe compoſiti, quod ponitur diſtinctum ab eſſe animæ, quid eſt illud eſſe, & quod eſt illud eſſe, quod corrumpitur, & ꝙ ſecundum hanc ſuam opinionẽ melius eſt dicere, vt dicebat Plato, qui ponebat animã immortalem, & ꝙ homo erat vtens corpore q̃ compoſitũ ex anima & corpore, & verius eius motor.ſ.corporis q̃ eius forma, cum anima ſit illud, quod vere eſt, & vere exiſtit, & poteſt induere corpus & eo ſpoliari: melius ergo fuiſſet Thomæ dicere hoc, q̃ ꝙ ſit id quod eſt, & ꝙ exiſtit, & ꝙ ſit forma.

SEPTIMO principaliter arguitur ſic, o Thoma ponis animas multiplicari ad multiplicationem corporum, cum tamen dicat Ariſtot. duodecimo methaphyſico. textu XLIX. talem multiplicationem eſſe per materiam multam.

ALIQVI Thomiſtæ dicunt ipſas animas inter ſe diſtingui per diuerſas habitudines ad diuerſa corpora: Vel ꝙ Ariſto. loquitur per principia indiuiduantia, quę materia poſſunt apellari.

ISTA dicta non poſſunt ſtare in via Ariſtot. quia ſic intelligentie in eadem ſpecie poſſent multiplicari. immo & ipſe deus,

quod

quod de intelligentijs aliqui concedunt, non autem Diuus Thomas, de deo autem nullus dicit, ꝙ poſsit multiplicari, & nihil aliud probat iſtud argumentum, relinquit iſte doctor tanq̃ probatum.

Octavo arguitur ſic. ſecũdum principia Ariſtotelica mundus eſt ęternus,& homo eſt æternus cũ ſol & homo generent hominem ſecundo phyſi.et octauo phyſ.ſemper homo fuit genitus ab homine, quare aut dabitur infinitum in actu. quod vbique aperte negat Ariſtot. aut oportet habere recurſum ad fabulas Pithagoreas ĩpugnatas. aut ad reſurrectionem Democriti, quod falſum habetur in philoſophia, quare &c.

Nono arguitur. quia o Thoma tu ponis ipſam animam de nouo fieri non per viam generationis,quia non educitur de potentia materiæ. ſed per viá creationis,quod videtur contra Ariſtot.cum nunq̃ ipſam poſuerit, immo ſi eam poſuiſſet, aperte peccaſſet per fallaciá conſequentis octauo phyſicorum. cum voluit probare mũdum nũq̃ incœpiſſe, cum tantum per viam generationis illud oſtendat. ꝙ ſi voluiſſet creationẽ. ſuum etiam erat probare, ꝙ mundus non incipiat per viam creationis. ſi abſolute debebat Ariſtot.inferre, ꝙ mundus non incipit

pit eſſe, oportebat ipſum vtranque viam remouere, ſi poſuiſſet creationem ſed infert conſequens abſolute ex via generationis, ergo ſequitur, quod Ariſtot. non ponit creationem.

Decimo iſta opinio diui Thomę peccat in hoc. primo quia ponit in via Ariſto. creationem: ſecundo ponit, quod ipſa anima immediate creetur a deo. cum tamen Ari. ponat ipſum deum in hæc inferiora nõ agere niſi per cauſas intermedias, & hunc eſſe ordinem eſſentialem.

Vndecimo arguitur ſic tenes o Thoma. quod iſta anima incipit eſſe cum corpore, verum non deſinit. immo remanet poſt corpus hæc dicta videntur maxime fore contra intentionem Ariſto.primo quidẽ. quia omne incorruptibile eſt ingenitũ primo cœli textu cxxv. vbi Ariſt.probat eorum conuertibilitatem,ſed per conceſſa anima intellectiua eſt incorruptibilis, ergo ingenita, ergo nunq̃ incępit.

Sed diceret Thomiſta ad hoc argumẽtum, quod tantum ſequitur ex hoc argumẽto, quod nunq̃ anima incipit per veram generationem.

Hoc dictum maxime contradicit textui, nam dicit Ariſto.ingenitum vero,quod

eſt, & nunq̃ fuit verum dicere. quod non fuit.ſi ergo anima ĩtellectiua eſt ingenita, vt ibi loquitur Ariſtot. ergo nunq̃ fuit verum dicere. quod non fuerit, nam vt expreſſe patet, vult illud eſſe genitũ, non ſolum.quod habet veras cauſas generationis, ſed quodcunque incipit eſſe quomodocunque incipiat, quod vult conuerti cum corruptibili proportionabiliter ſumpto, & ſic ſumit Ariſto.ingenitum & incorruptibile.

DVODECIMO arguitur ſic mirabile eſt, quod tot & tantas rationes adducat Ariſtot.ad probandum conuertibilitatem illorum, & ꝙ nunq̃ exceperit animã intellectiuam. Certe dediſſet Ariſtot. cauſam valde errandi.

DECIMO tertio arguitur. ſic ab auctoritate negatiue, quod licet non valeat in philoſophia, vt patet primo phyſicorum, tamen in re tam memoranda & maxime apud Ariſtot. qui in minimis fuit optimus perſcrutator vt in poeſi in rethoricis & in alijs ſcientijs particularibus & quod in iſta parte de anima quæ eſt principalis pars philoſophie & in qua conſiſtit principaliter noſter modus viuendi, nullam penitus fecerit mentionem de eſſe eius, ſi ſeparatur a corpore quia hoc eſt vnum ſcibile, quod ab

omnibus

omnibus deſideratur ſciri, an vero non remaneat poſt corpus, ſed primum non eſt imponendum Ariſt. quare &c.

DECIMO quarto arguitur ſic. videtur Ariſt. primo Ethicorum ponere nullam fœlicitatem poſt mortem. immo, quod maius eſt. Diuus Thomas in lectione prima tertij Ethicorum. ſuper illa parte, quod quis magis debet eligere mortem q̃ magnum ſcelus perpetrare, quaſi dubius Thomas quomodo Ariſtot. hoc ponit. Dicit tamen Thomas, quod hoc dicit Ariſtot. quia poſt mortem remanet gloria. vel quia exiſtere in illo actu virtuoſo per modicum tempus exiſtimat Ariſt. melius q̃ diu viuere in actu illo vitioſo, vt etiam volebat Plato in ſexto de re publica, quod fortis politicus ſtante etiã animæ mortalitate deberet mori pro republica: Vnde autem accidat, quod homines hoc non faciunt, dicit Plato, quod hoc nõ faciunt, quia non ſunt fortes, & non cognoſcunt excellentiam virtutis & maliciam vicij: modo ſi diuus Thomas credidit. Ariſt. tenere inmortalitatem animæ nulla harum cauſarum eſſet conueniens cauſa in promptu, eſſe propter alium ſtatum. vnde Diuus Thomas quaſi admiratur. quod cum Ariſt. ponat poſt mortem nihil eſſe, quomodo po

ſtea ponat, quod aliquis malit mori, q̃ male viuere, nam & ipſe Thomas in expoſitione ſimboli apoſtolorum. ſuper illo articulo Carnis reſurrectionem, dicit niſi expectaremus reſurgere, homo magis debere cõmittere quodcunque ſcelus, q̃ mori quare, &c.

Decimo quinto arguitur ſic, ſi daretur iſte ſtatus poſt mortem, cum ſit finis vltimus hominis, & cum Ariſto. fuerit inquiſitor diligentiſsimus. mirabile eſt. quod nullam feciſſet mentionẽ de tali ſtatu poſt mortem, neque promiſerit ſe facere mentionem in aliquo ſuo opere. ergo videtur, quod non detur alius ſtatus hominis q̃ ſtatus huius vite.

Decimo ſexto & vltimo arguitur ſic. ſi remanerent animæ poſt corruptionem corporum, oportere, vel poneret reſurrectionem, vel fingere fabulas pitagoreas, vel tam nobiliſsima entia ociari, quæ omnia quantum repugnent ſcientiæ Ariſtotelice, vnicuique patere poteſt quare &c.

Probatum ergo fuit fortiſsimis rationibus hereticũ fore in philoſophia Ariſtotelica ponere immortalitatem animarũ, & præter rationes, ſunt etiam viri magne auctoritatis. qui tam excellentis animæ fuere,

re, quaſi omnia quærenda de philoſophia per ſeipſos facile intelligant, ſicut dicitur de Hippocrate,qui per ſeipſum adinuenit omnia in medicina & in philoſophia, vt habetur a Galeno,& ab Auerroe,& hij ſunt ſubtilis intellectus,dicit tamen Hippocras ipſam animam humanam fore mortalem, vt patet ab ipſo in quinto Epidimiarum text. VIII. vbi inquit hominis anima ſemper oritur vſque ad mortem, ſi vero igneſcit ſimul cum ægritudine, corpus depaſcitur, vbi videtur velle Hippocras, quod incipit anima cum corpore, & deſinit eſſe cum corpore: Quid de Socrate,quid de Alpharabio quid de Auẽpace dicemus, qui tenuere animam ipſam mortalem eſſe. Quid de Alexandro peripathetico, qui fuit diſcipulus Ariſt. ita quod tempore ſuo nullus appellabatur philoſophus, niſi eſſet Alexandreus, vir certe magni ingenij & magne doctrine, & diligens inueſtigator in naturalibus, nonne exiſtimandum eſt. ipſum in hoc voluiſſe habere opinionem Ariſt.pręceptoris ſui, certe ſic. tamen & ipſe manifeſte poſuit animæ mortalitatem: Quid de Galeno dicemus, qui & ipſe poſuit mortalitatem animarum, vt ſibi imponit Auerroes tertio de Anima: nonne & multi moderni ponunt hoc in via Ariſt.

ipſam eſſe mortalem, nonne Ioannes ſcotus doctor ſubtilis vt patet in quarto ſententia rum ponit ad mentem Ariſt.ipſam eſſe mor talem uir certe magne ſanctitatis & doctri nę,ſunt & plerique alij viri digni memoria, qui ſunt iſtius opinionis, quorum auctoritates me magis mouent q̃ rationes, quia tamen philoſophus magis ſtare debet rationi bus q̃ auctoritatibus, & ex ipſis magis debet moueri. ſi valide ſunt: Et quoniam ex altera parte ſunt etiam viri nam minus digni memoria, immo lõge memoria digniores & antiqui & Moderni, vltra hoc ſunt vi ri ſancti, qui ex ſe non loquntur, ſed & ſpi ritu ſancto, in quibus vt ſic non poteſt acci dere error aliquouis modo, qui omnes tenent ipſam animã intellectiuam eſſe immor talem ſecundum ſuam eſſentiam,pręter hoc rationes ſuperius adducte longe validiores ſunt rationibus partis oppoſite, quod pate bit ex earum ſolutionibus, ideo firmiter te nẽdum erit ipſam fore immortalem, & hoc verum eſſe non tantum ſecundum dogmata fidei,cui infallibiliter eſt innitendum, verũ etiam ſecundum principia Ariſtotelicæ phi loſophię: & non erit hoc Ariſtot.attribuen dũ quod eius principia in tali materia ſint falſa, quod ſequitur ſi ponatur animam ip-

ſam

ſam eſſe mortalem, quia dicunt hoc eſſe falſum, vt ipſi dicunt, & ſequitur ex principijs Ariſtot. ergo eius principia ſunt falſa, quia falſum non ſequitur niſi ex falſo, & ideo vt hoc non remaneat ſub dubio in via Ariſto. ad rationes ſuperius factas pro poſſe noſtro reſpondebimns, quas oſtendemus fore nullius efficacie.

Reſponſio ad argumenta partis oppoſitæ.

AD primum argumentum dicendũ erit, quod non eſt petitio principij,& quod non ſimiliter poteſt probari oppoſitum: Vnde pro ſolutione argumenti Notandum. quod quando aliqua plura. quę ſe habent ſicut ſuperius & inferius, competunt alicui illud, cui illa plura competunt, denominandum eſt ſecundum illum gradum, ſeu ſecundum denominationem perfectionalem illius gradus, ſecundum quem illa competunt: iſta ſuppoſitio probatur ex eo.n.quod vniuerſaliora ſunt ordinata eſſentialiter ad inferiora tanq̃ in perfectius ad perfectum,& inferiora continent virtualiter ſuperiora, & ex illis conſtituuntur, & vniuntur in inferioribus, ideo continent inferiora ſuperiora, & aliquid vltra, & vnumquodque ſemper de-

nominatur a ſuperabundanti, in intenſione, non autem in extenſione ſicut vnum ſubiectum, quod ſit calidum vt octo tanq̃ ab vna forma ſimplici denominabitur calidum vt octo, & tamen erunt plures gradus in eadem latitudine, in qua erit gradus vt octo ipſam terminans, qui non erunt denominationis vt octo. immo ſunt infiniti gradus citra gradum vt octo. quorum nullus erit ſufficiens denominare ſubiectum tale adequate, quia quacunque denominatione facta ab aliquo iſtorũ graduum, vel ab omnibus ſimul citra octo intenſiori denominatione poterit denominari, ergo nulla erit adequata, quæ poſsit fieri ab aliquo iſtorũ graduum vel ab omnibus citra talem gradũ vt octo: Hoc ſtante facilis patet reſpõſio, qa iſta anima humana licet habeat plures operationes materiales, vt vegetatiua, & non recipit omnes formas, vt ſenſitiua, & organo corporali vtatur, & temporalia & caduca afſectet, non tamen propter hoc, vere & ſimpliciter denominanda eſt materialis verum ſolum ſecundum quid & in proprie, quia ſimpliciter & vere denominanda eſt talis ſecundum perfectionem & ſupremum gradũ eſſentialem: qui eſt intellectus, qui eſt immortalis & incorruptibilis, ſecundum autẽ

quid

quid & in proprie corruptibilis & mortalis. pro tanto quanto eſt coniunctus vegetatiuo, & ſenſitiuo: Ratio autem propter quã dicitur magis immortalis q̃ mortalis eſt, quia vnumquodque denominatur ab illo, quod ipſum magis adequat, & ipſum magis exprimit & declarat, eius naturam, ſed tale eſt gradus perfectior & ſupremus, quia talis gradus continet in ſe totam latitudinẽ, ex eo ꝙ omnes gradus exiſtentes in eadem latitudine continet, ſecundum quos ipſum denominat, ſi autem ipſa anima humana denominaretur a gradu vegetatiuo & ſenſitiuo nõ explicaretur nobis eſſentia ipſius animæ adequate & perfecte: immo ſolum ſecundum eſſe imperfecti & materialis nobis explicaretur, & non ſecundum eſſe perfecti & formalis, ſecundũ quod eſſe vnumquodque erit tale denominandum: cum ergo ſupremus gradus animæ humanæ ſit intellectus, qui vt ſic eſt inmaterialis incorruptibilis & immortalis, & ſic ſimpliciter & proprie denominanda erit anima inmaterialis incorruptibilis, & immortalis, licet contineat ſub ſe aliquas potẽtias caducas & mortales, ſecũdum quas non ſimpliciter & proprie, ſed ſecundum quid & improprie eſt denominanda materialis corruptibilis & mortalis,

talis, ſicut dicimus. ꝙ ſubiectum calidum vt octo eſt tale ſimpliciter, licet ſecundum quid, ſit calidum vt quatuor vt tria: ſicut.n. eſt in toto quantitatiuo ita eſt in toto intenſionis, nam totum quantitatiuum ſecundũ totum denominatur tale ſimpliciter, ſecundum partem autem denominatur tale ſecundum quid, vt ſi totum eſt album, abſolute pronunciandum eſt album, verum ſi habet manum tantum albam, ſecundum quid erit album, quia ſecundum manum: ita proportionabiliter, & modo ſuo in toto intenſionis ſiue in toto perfectionali. quod ſi tale denominetur ſecũdum aliquam partem infra ſupremum, erit tale denominandum ſecundum quid. immo ſecundum omnes partes citra ſummum erit denominandum ſecundum quid. vt anima ipſa humana habet potẽtias vegetatiuas ſenſitiuas & intellectiuas, erit talis merito potentiæ intellectiue, & ideo abſolute appellatur intellectiua tanq̃ a ſuprema & pfectiori potẽtia, quæ etiã finis eſt aliarũ, quia ad ipſam intellectiuã ordinãtur vegetatiua & ſenſitiua,& in ipſa cõtinẽtur in virtute,ſicut trigonũ in pentagono.

Haec etiam noſtra reſponſio confirmatur,nã habetur primo cęli, ꝙ vnaqueq; potentia cognoſcitur & mẽſuratur per maximum,

ximum, in quod poteſt, quæ potentia facit cognoſcere ſuum ſubiectum, a quo prodijt, anima ergo ipſa humana dicitur intellectiua ab intellectu, qui eſt potentia naturalis immortalis, & licet ſine plures potentiæ mortales in ipſa anima, vt patet. tamen ab iſta vnica potentia erit anima ipſa immortalis ſimpliciter, quia ſecundum talem gradū intellectiuum in ipſa anima fiunt inmortales ſimpliciter. mortales autem ſecundum quid, pro tanto quanto deſeruiunt ipſi intellectui & ipſi coniunguntur: argumentum ergo nullum eſt. ſunt plures potentię in numero mortales, ergo ipſa anima ſimpliciter mortalis: bene argumentum valeret, quando cætera eſſent paria. ꝙ potentię ille eſſent fluentes ab illo gradu intellectiuo. ſecundum quem ipſa anima conſtituitur in eſſe ſpecifico, vel ineſſe, vt pars ſpeciei ſit, ſicut ſunt iſte duæ potentię intellectus & voluntas, & ſic patet ad primum argumentum.

Ad ſecundum argumentum. quod eſt argumentum a ſigno quod ſumitur ex modo viuendi maioris ſpeciei humanę. immo fere totius. quod. ſ. maior pars hominum, & fere tota viuunt modo ferali, & non modo rationali, immo paucisſimi ſunt. qui viuunt tali vita, & ſic natura fruſtraretur in

maiori

maiori parte ſui ſubiecti.

Ad hoc patet reſponſio fere per reſponſionem ad primum argumentum, nam ſicut ipſa anima eſt denominanda ſecundum ſupremam & perfectiorem potentiam, ita debet dici homo viuere vita rationali, quando facit aliquam operationē cũ ratione, modo nullus eſt ita amens, & ita feralis, quin in ſe aliquid rationis habeat, & plus & minus dicuntur rationales ſecundũ maiorē & minorē copiam operum rationalium, & ſic natura non fruſtraretur, quia ſufficit. ꝙ ad vnum actum reducatur. ſaltē in maiori parte. immo fere in omnibus, licet quo ad vulgares, qui iudicant ſecundum ſenſum, & nō ſecundum rei veritatē, potius dicuntur beſtiales ꝙ humani, iudicium autem vulgariũ non facit illud eſſe tale ſecundum rei veritatem: quod ſecundũ ſenſum iudicatur, quia vt plurimum decipiuntur, ex ſenſu, non circa proprium obiectũ, ſed circa ea, quæ ſunt proprio obiecto annexa, & hoc eſt illa propoſitio promulgata. ꝙ nos habemus viuere, vt plures, ſentire autem, vt pauci, quia debemus ſentire vt ſapientes, qui reſpectu inſipientum ſunt pauci, & ſic patet reſponſio ad argumentum.

Ad confirmationem, quę etiam a ſigno ſumi-

ſumitur, ex modica & confuſa cognitione, quam nos habemus, de naturalibus & de ipſis dijs: patet ad hoc ſimiliter reſponſio, ꝙ vnumquodque magis denominandum eſt ſecundum perfectiorem gradum, ſecundũ quem entia mundi ſecundum ſuas eſſentias cognoſcuntur, & vt diſtinguntur adinuicẽ. ita ꝙ vnum erit perfectius reliquo, ſecundũ ꝙ habebit perfectiorem gradum eſſentialẽ, & non ſecundum imperfectiorem immo ſecundum talem conueniunt, vt patet: cum ergo confuſam & modicam cognitionẽ habeamus de rebus & per modicum tempus, hoc facit nos diſtinguere ab intelligentijs, quæ perfectam & perpetuo tempore cognitionem habent de ipſis rebus naturalibus & diuinis: habere autem vniuerſalẽ cognitionem, quæ in ſe licet ſit confuſa reſpectu intelligentiarum, reſpectu tamen animaliũ brutorum eſt multa & diſtincta plus & minus ſecũdum corporum diuerſitatem plus & minus ſe exercitantium, & melius diſpoſitorum, & licet rari ſint, qui ipſam cognitionem perfectam attingant: non minus tollitur. ꝙ ille non ſit finis hominis, quẽ omnes deſiderant, & omnes cõſequntur ipſum non tamen totalem. immo fere nullus, & ſecũdũ quem homo dicitur rationalis. Quod autem

autem homo ſtet paruo tempore in operatione intellectiua. hoc arguit potius propoſitum q̃ oppoſitum. ꝙ. ſ. intellectus ſit immortalis, quia iſta potentia abſoluitur a tẽpore & a loco, alie autem potentie materiales ſunt ita immenſe materiæ. ꝙ nihil operantur niſi menſura temporali & plus & minus ſecundum maiorem & minorem materialitatem, immo ſi ipſa potentia intellectiua eſt aliqualiter tempori coniuncta, non erit niſi ratione virtutis cogitatiue, a qua accipit phãtaſmata, ſine quibus intelligere nõ poteſt: Contra. intelligentie perpetuo intelligunt: Hoc nihil eſt, quia ipſe intelligẽtie per ſuas eſſentias intelligunt, vel ſaltem non indigent phantaſmatibus, circa quę accidit labor & laſsitudo, & ideo in ipſis intelligentijs non eſt labor: at cum intellectus humanus phantaſmatibus indigeat, ad quorum indigentiam laborant virtutes organicæ, quæ indigent maximo tempore, vt perficiant ſuas operationes, & ideo intellectus id in inſtanti perficit. quod virtutes organicæ in tempore: & hoc maxime arguit immaterialitatem: ipſius intellectus. ſicut patet in potentijs materialibus, quia quanto magis ſunt materiales, tanto minus abſoluuntur a tempore, ſicut patet de potentijs animæ ve-

mæ vegetatiuæ, vt nutritiua. quæ nunq̃ ab ſoluitur a tempore, ſemper.n.laborat & eſt cum motu, iuxta illud, tandiu viuimus, q̃diu nutrimur: Potentiæ autem ſenſitiuę ali quando ceſſant ab opere ſuo, vt patet ſaltẽ in ſomno, quia ſunt minus materiales, q̃ po tentiæ animę vegetatiue: intellectus autem vt intellectus totaliter abſoluitur a tempore, & ſi cũ tempore operetur, operatur pro tanto. quanto coniungitur potentijs ſenſitiuis, cum ergo infertur. quia in minori par te ſui ſubiecti, & in pauco tempore viget ta lis virtus intellectiua reſpectu virtutum vegetatiuę & ſenſitiuę animæ, debeat dici ma gis mortalis. q̃ immortalis: negatur. immo ſequitur oppoſitum, quia entia quanto prę cioſiora, tanto natura rarius & breui tempo re ea oſtendit, ſicut faciunt Antiſtites, res ſacras cito oſtendunt, & cito recondunt, & ſic patet ſolutio.

Ad tertium argumentum ſic reſpondetur, quod quidem argumentum eſt per mo dum interrogationis, ego quęro abs te. qui dicis ipſam animam fore inmortalem, ex quo hoc non eſt nobis per ſe notum, cum ſit problema neutrum, quod arguitur ex di uerſitate opinionum, per quod ergo ſignũ oſtendis nobis, vel ex eo ꝙ non indiget cor

pore

pore tanq̃ ſubiecto præciſe, vel cum alio ad dito:

Ad hoc dictum fuit ſufficienter ſupra in declaratione & poſitionis Auerrois & latinorum. ꝙ illa conditionalis Ariſt. eſt intelligenda de antecedēte diſiuncto: vel dum ſumus in acquiri, non autem dum ſumus in acquiſito eſſe, & ꝙ iſte modus intelligendi non eſt eſſentialis & proprius ipſius animæ, verum tantum animæ coniunctæ & adhuc diximus ipſam animā corpori coniunctam poſſe abſque phantaſmate intelligere, ſuppoſito. ꝙ Angelus vel Deus creet vnam ſpeciem intelligibilem in anima. per quam anima intelliget obiectum, cuius ſpecies illa erat repreſentatiua: & dictum fuit ſupra, ꝙ Ariſt. vſus eſt illa conditionali. ſ. anima eſt phantaſia, aut non eſt ſine phantaſia, vt Platoni contradiceret, non autem vt exponeret modum eſſentialem & proprium ipſius animæ, & ſi patet ſolutio.

Ad quartum, in quo arguitur cum vna conditionali cum poſitione antecedētis ad poſitionem conſequentis, quę eſt iſta ſi anima humana in omni ſuo opere indiget organo corporali ipſa eſt inſeparabilis & materialis: Dico. ꝙ iſta conditionalis eſt bona: ſi accipiatur, ly. anima humana in eo ꝙ

anima humana: verum poſtea minor erit fal ſa.ſ.ſed in omni opere dependet ab organo corporali. quia anima in eo ꝙ anima non dependet ab organo corporali, verum in eo, ꝙ coniuncta corpori, & adhuc poſsibile eſt, ꝙ abſoluatur ab organo corporali in ſua operatione: quæ eſt intelligere ſicut dictum fuit in reſponſione ad tertium argumentũ: & cũ probabatur minor ex diffinitione ipſius animæ, ꝙ eſt actus corporis. ergo anima in eo, ꝙ anima dependet ab organo cor porali: Dicendum. ꝙ quælibet anima in eo ꝙ anima eſt actus & etiam ipſa anima intellectiua eſt actus. pro quãto habet potentias animæ vegetatiue & ſenſitiue, ſecundũ quas dicitur informare corpus phyſicum, & ſecundum illas dicitur materialis, & inſepara bilis, non autem ſecundum. ꝙ intellectiua. Capiendo, ly. ſecundum ꝙ, ſpecificatiue, quia vt ſic nullius eſt actus, vt patet in ſecũ do de anima, nam ſecundum aliquas partes nullius corporis eſt actus, ſecundum quas non prohibet ipſam ſeparari: Anima ergo ipſa duobus officijs fungitur. vt quod & vt quo, vt ſupra expoſitum eſt, ratione poten tiarũ vegetatiuarũ & ſenſitiuarũ eſt id. quo aliquid eſt, ratione autem partis ſupreme ſcilicet intellectiue eſt id, quod eſt: & hoc

M non

non eſt mirum. ſi hoc habet, quia hoc eſt propter eius excellentiam & propter eius participationem inmaterialium & continẽtiam materialium: & cum arguitur, ſi non eſt actus. ergo etiam non eſt anima, cum arguatur a ſuperiori ad ſuum inferius negatiue: Dicimus ipſam animam intellectiuam in eo ꝙ intellectiua eſſe actum corporis phiſici, accipiendo. ly, in eo ꝙ reduplicatiue, non autem ſpecificatiue, ſicut nos dicimus, ꝙ homo in eo. ꝙ homo eſt animal, corpus &c. capiẽdo, ly. in eo ꝙ reduplicatiue. quod patet per ſuas exponentes, ſic. homo eſt, & animal eſt, & ſi aliquid eſt homo, illud eſt animal, ergo &c. ſi tamen ly. in eo ꝙ. capiatur ſpecificatiue, illa propoſitio erit falſa, quia ſenſus erit, ꝙ homo ſecundum gradú præciſum, quo eſt homo, eſt animal, eſt corpus &c. & hoc eſt falſum, quia eſt homo tátum gradu intellectiuo præciſo, quo gradu non eſt animal, non eſt corpus &c. ita etiam dicimus, ꝙ anima intellectiua in eo ꝙ intellectiua habet potentias vegetatiue & ſenſitiue, & ꝙ eſt actus corporis, quod patet per ſuas exponentes ſic, anima intellectiua eſt, actus corporis phyſici eſt, & ſi aliquid eſt anima intellectiua, illud eſt actus corporis phyſici actu vel aptitudine, quia il-

lud

lud ens, ꝙ eſt anima intellectiua, eſt actus, quia vegetatiua & ſenſitiua ſunt actus corporis, quæ ſunt idem. ꝙ anima intellectiua, & hoc eſt verum: tenendo autem, ly. in eo ꝙ ſpecificatiue falſa eſt iſta propoſitio. ꝙ anima intellectiua in eo ꝙ intellectiua ſit actus corporis, quia ſignificat. ꝙ ipſa intellectiua præciſe ſecundum gradum intellectiuum ſit actus, immo ſecundum talẽ gradum non eſt actus præciſe, niſi pro quanto gradui vegetatiuo & ſenſitiuo idẽtificatur: Ex quo ſequitur, ꝙ iſtud argumentum nõ eſt bonum, anima intellectiua nõ eſt actus. ergo non eſt anima: quia antecedens eſt falſum. immo quęlibet anima eſt actus. ergo anima intellectiua eſt actus, quia nos dicimus illam diffinitionem animæ eſſe vniuocam in hac via, vt vult maxime Diuus Thomas, & licet ſecundum ſenſationẽ ſit actus, non tamen eſt actus pro ſua intellectione, niſi in corpore, & ſic anima intellectiua non indiget in omni ſuo intelligere phãtaſia, & ſic eſt ſeparabilis & immaterialis.

SED aliquis poſſet obicere dictis noſtris. quia dictum fuit animam ipſam ad minus eſſe actum corporis aptitudine, erit ergo homo, & non erit animal actu, ſed tantum aptitudine, quod dicere, videtur eſſe valde ab-

ſurdum.

Ad hoc dicimus. ꝙ diffinitiones, quæ dantur per genus cauſę formalis tantum,nõ verificantur de diffinito, niſi eo modo,quo eſt diffinitum verbi gratia,ſi eſt actu homo, actu eſt animal, ſi potentia, potentia, & iſte ſunt proprie diffinitiones, quæ tantum explicant formam, qua homo eſt homo, nullo modo concurrente materia ipſa. quæ ſolum concurrit, vt deferat ipſam quiditaté, quæ eſt forma,in quo conuenimus cũ Auerroe & Alberto. quamuis ſciam Diuũ Thomam fuiſſe alterius opinionis: quæ quiditates,licet non ſint in actu reali,niſi ſint in materialibus,a quibus non ſeparantur niſi in eſſe intentionali, in via Ariſto.licet in via Platonis eſſet ſecus dicendum, qui ponit vniuerſalia realia extra animam:Anima ergo ipſa, cum ab Ariſt.diffiniatur, ex quo eſt pars eſſentialis conſtitutiua ſpeciei non poteſt diffiniri, niſi prout habet reſpectum ad alteram partem eſſentialem ipſius compoſiti. quæ eſt corpus organicũ, ad quod ſe habet vt quo, & vt ꝙ & ſic ſine illo corpore organico poteſt anima actu ſtare, & ideo cum ad ipſum corpus ſe habet anima vt quo, ſemper anima eſt actus, quia nõ ſe habet vt quo niſi ratione potentiarum vegetatiuarum & ſenſi-

ſenſitiuarum, quæ dum habent eſſe in actu completo, non habent aliud eſſe niſi in corpore: Eſt autem anima vt quod, ratione intellectus, ſecundum quem anima ſeparatur a corpore, & remanet aliqua aptitudo ipſarum potẽtiarum materialium ad ipſum corpus, per quam aptitudinem etiam vna anima ſeparata diſtinguitur ab altera, quia anima ipſa diffinitur, vt quo eſt aliquid, & ſic ſub tali reſpectu conſiderata eſt actus corporis, quia vt ſic habet anima ſuas potẽtias in actu completo, quia poſtea cum Ariſto. inferius dicit. Eſt aliud genus animæ, conſiderat Ariſtot. ipſam animam, vt quod eſt: quod eſt conſiderare ipſam tantum ſecundum intellectum: & ſic non habet talem dependentiam ad corpus, & multum delectatus ſum in iſta reſponſione. Et negatur, ꝙ ſit neceſſe ponere tranſmigrationem de corpore in corpus, aut reſurrectionem in via Ariſt. ergo anima non reunietur corpori. Dico, ꝙ neque hoc eſt contra ordinem naturæ, quia licet anima ſtet corpori coniuncta tempore finito, & ſeparata tempore infinito, hoc non eſt ob aliud, niſi quia ipſa anima participat de vtraque natura & temporali ratione materialitatis, & æterna ratione inmaterialitatis, bene verum eſſet. ꝙ ſi re-

ſpectu eiuſdem naturæ eſſet tempore finito corpori coniuncta & poſtea tempore infinito eſſe ſeparata: tunc hoc eſſet contra ordinem nature, & hoc non prouenit ob aliud niſi propter naturam animę eſſe mediam tẽporalium & æternorum, & ideo eius natura non mutatur, verum ſemper eadem manet, quia eſt talis, vt coniuncta corpori, indigeat phantaſmate, vt autem ſeparata non, & ꝙ ſit id. quod eſt, & quo aliquid eſt, qui diuerſi modi eſſendi & operandi non competunt alijs formis, hoc non eſt ob aliud. niſi quia alię formę omnes ſunt totaliter materiales, & ſemper habent, vt ſint actus, vt operentur cũ corpore, & vt ſint id quo aliquid eſt: aut ſunt immateriales, & vt ſic non ſunt actus, & nunq̃ operantur cũ corpore quoad ſuum intelligere, & ſolũ ſunt id, quod eſt: Anima autẽ ipſa ex quo eſt media, de vtriſq; conditionibus participat, & hoc eſt naturale ſibi habere iſtos diuerſos modos eſſendi, qui tamen in alijs probant diuerſitatem ſpecificam inter aliqua: & ſic patet ſolutio ad illam auctoritatem Ariſt. ſexti de Hiſtorijs animalium de mulis in Siria, & de noſtris, ꝙ non ſunt eiuſdem ſpeciei. quia illę generant, noſtrę autem non generant, & ſimiliter genita per putrefactionem & genita per

propa-

propagationem propter diuerſum modum generandi: hoc inq̃ verum eſt, quia ſunt for me pure materiales, quia adhoc ꝙ ſint eiuſdem ſpeciei, oportet. ꝙ habeant eundẽ mo dum eſſendi & generandi.

Et ex hoc patet ſolutio ad illud Auerrois in libello de ſomno & vigilia dicentis, ꝙ ſi aliqui eſſent homines, qui non cognoſcerent eodem modo, ſicut nos non eſſent eiuſdem generis nobiſcum: dicimus. ꝙ hoc verum eſt. ſ. ſi haberent alium modum cognoſcendi a ſupra dicto. ſ. ꝙ ſemper intelligerent cum phantaſmate, aut ſemper ſine phantaſmate, vt ſic tales haberent animam aut pure materialem, aut pure immaterialem, & ſic non eſſent eiuſdem generis cum anima, per quam ſumus, quæ participat de vtraque natura: Et ex hoc fere omnia argumenta ſoluuntur, quæ iſti adducunt contra hanc viam noſtram.

Ad aliam confirmationem ex Ariſt. primo Ethicorum dicente contra Platonẽ diu turnitatem temporis non auferre ſpeciem: Dictũ fuit partim ſupra in opinione Auerrois vnde dicendum. ꝙ animam eſſe coniun ctam corpori pauco tempore non facit, ꝙ anima ſit immaterialis, bene verum eſt, hoc quia anima eſt immaterialis, eſt paruo tem-

pore corpori coniuncta, vnde immaterialitas eſt cauſa. ꝙ anima non longo tempore ſtet corpori coniuncta: ita etiam ꝙ anima toto tempore ſtet corpori coniuncta, non propter hoc arguitur ipſam fore materialem, niſi a poſteriori, & non a priori, ſed bene quia eſt materialis, ideo non abſoluitur toto tempore a corpore:& ideo argumẽtum valet, eſt inmaterialis, ergo non toto tempore coniungitur corpori, quia habet id, quod eſt, quod eſt ſibi intimius & eſſentialius ipſo id, quo eſt, quia magis participat de æternis, q̃ de temporalibus, & ideo poſtea infinito tẽpore durat: loquor in hac via: non autem ſecundum Auerroim: vt ſupra patuit: ad probandum ipſam immaterialitatem ſunt alia media, vt patet.

Ad illud de intelligentijs, quæ ſemper mouent orbes ſuos cum dicebatur, ſemper mouent, orbes, ergo nunq̃ ſeparantur, ergo ſunt materiales: Dicimus. ꝙ non ſequitur, quia intelligentię actu ſunt ſeparate,& ſunt id. quod eſt, & ſolum tribuunt virtutem ſuam motiuã ſuis mobilibus nihil ab ipſis accipiendo, quod non eſt ſic de anima, quæ eſt actus corporis, a quo accipit phantaſmata, & ipſi corpori ſuam primã operationem communicat, & ex illis fit vnum eſ-

ſentiale,

ſentiale, & nullam retinet per ſe propriam penitus operationem abſque corpore dum eſt ei coniuncta, quod non poſſumus dicere ſic de intelligentijs.

Et ſic non dicimus ipſam infinito tempore ociari, quia ſemper viget ſua operatio propria, quæ eſt intelligere, quia ſeparata ſemper intelligit, & ſic anima noſtra participabit de fœlicitate intelligentiarum: & licet ipſa anima quo ad potentias vegetatiuas & ſenſitiuas ociabitur ſeparata a corpore, hoc nihil eſt, quia intellectus non eſt propter illas, ſed bene ille potentiæ ſunt propter intellectum, a quo etiam perficiuntur, dum eſt ſeparatus, & non minus perficiuntur iſte potentię materiales intenſiue ab intellectu ſeparato. q̃ quando eſt coniunctus, licet coniunctus magis perficiat eas, extenſiue: Et dicimus etiam. ꝙ vtrunque eſt ſibi naturale. ſ. intelligere cum phantaſmate, & intelligere ſine phantaſmate, propter duplicem eius naturam mediam eſſe in orizonte æternitatis & temporis: Dicimus tamen, quia ſimpliciter eſt immaterialis, & eſt, id, quod eſt, magis eſt ſibi proprium intelligere ſine phantaſmate q̃ cum phantaſmate, & hoc eſt, ꝙ intelligit tempore infinito ſine phantaſmate paruo autem tempore cum

re cum phantaſmate & ideo non ei vnietur violenter, verum naturaliter, non tamen tali naturalitate, qua forme ſimpliciter materiales vniuntur corporibus ſuis: Et ex hoc poſſumus inferre. ꝙ homo non ita vere generatur, neque ita vere corrumpitur. ſicut generātur & corrrūpuntur animalia bruta.

Ad quintum argumentum dicitur, ſicut fuit dictum ſupra, ꝙ ipſe potentiæ vegetatiue & ſenſitiue, ex quo remanet ipſa eſſentia animæ, a qua fluunt tales potentię, ꝙ remanent in ipſa poſt ſeparationem ſicut in radice, & ſicut in ſuo principio, quia tamen tales potentiæ indigēt corpore, ad hoc. quod excāt in opus, abſque eo non poſſunt exire in opus, quod accidit in anima ſeparata, nec tamen propter hoc ille potentiæ ocientur, quia ſubiectum ſuum non ociatur. immo fœlicitatur reſpectu propriæ & pincipalis operationis, & ab illa potentię perficiuntur, & ſic ſequitur ꝙ non ſit manca nec fruſtra, hoc bene ſequeretur, ꝙ illud ens eſſet mancum & fruſtra, quando tale eſſet priuatū ſua principali operatione, quia eſt creatum propter illam: & ſic patet ſolutio ad hoc argumentum.

Ad ſextum argumentum dicitur negando. quod ipſa anima verius dicitur ſecundū

quid

quid inmaterialis inmortalis. immo verius dicitur oppoſito modo.ſ.materialis mortalis ſecundum quid, immortalis autem ſimpliciter & immaterialis, & cum probatur per dictum Ariſtot. tertio de anima textu xx. vbi cum Ariſto.ſuperius dixiſſet vtrumque intellectum eſſe ſeparatum & immortalem. dixit poſtea in illo textu, & hic intellectus vere eſt immortalis et ſemper intelligens, vbi dicebant aduerſarij. ꝙ Ariſt.intelligebat de intellectu agente. Dico ꝙ ille textus non poteſt intelligi ſolum de intellectu agente, ſicut iſti intelligunt: quia ſuperius Ariſt. declarauerat intellectum poſsibilem fore ſeparatum & immortalem, verũ quia non ſemper eſt intelligens, in hoc differt ab intellectu agente qui ſemper eſt intelligẽs, iſta ergo particula tex. xx. quæ dicit ſeparatus autem eſt ſolum hoc, quod vere eſt. poteſt dupliciter introduci, vno modo, vt ly. ſeparatus, non referat ſolum illam particulam, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando vero non intelligit. ſi referret ſolum illam particulam, non video, quomodo poſsimus ſaluare, ꝙ intellectus poſsibilis ſit ſeparatus, & immortalis, cũ non ſemper intelligat, verum ſaluando hoc. non eſt niſi. ꝙ poſtq̃ Ariſto.dixit naturam vtriuſq;
intel-

intellectus,& ſuũ intelligere,quod vni illorũ ineſt ſemper, alteri autẽ nõ ineſt ſemper relinquens eorum operationem Ariſt.tranſit ad declarationem . quod iſti intellectus ſolum ſunt ſeparati inmortales & perpetui, & ſunt id, quod vere eſt, quia ſemper remanent cum anima, & hoc dicitur ad excludẽdum intellectum in habitu, qui corrumpitur aliquo interius corrupto, & ideo nõ eſt id, quod vere eſt, quia non perpetuo tempore durat.

Alio modo poteſt exponi ille textus, ꝙ.ſ.ly.ſeparatus, referatur ad illud ſuperius dictum. ſ. non aliquando quidem intelligit &c. vt ſit ſenſus. ꝙ intellectus, qui ſemper intelligit, ſit ſeparatus ſolum, ergo Ariſto. ſolum intelligit de intellectu agente: Negatur, quia etiam intellectus poſsibilis ſecundum ſe conſideratus non in ordine ad particularia ſemper intelligit, quia vt ſic habet reſpectum ad agentem ſolum, cuius intelligere eſt ſemper,eo ꝙ non egreditur extra ipſum, quia intelligit per conuerſionem ad ipſum ſolum: & per ipſum intelligit, & non per phantaſmata, vnde dicimus ipſum intellectum poſsibilem non ſemper intelligere, ex eo quod non ſemper habet phantaſmata, verum aliquando quidem ſic, & aliquando non,&

non, & hoc eſt illud, quo Ariſt.dicit in principio textus xx. Quę vero ſecundum potẽtiam prior tempore in vno indiuiduo. Ariſt. vult dicere. ꝙ quando nos cõparamus iſtos duos intellectus ad inuicem in vno indiuiduo, prior eſt potentia q̃ actus, quoniam prius intelligimus in potentia, & non adhuc operatur in nobis intellectus agens aliquas intelligentias ſpeculatiuas: nobis poſtea creſcentibus incipit in nobis manifeſtari operatio ipſius intellectus agentis per ſeparationem intelligibilium: Verum ſi conſideremus ipſum actum & potentiam abſolute nõ in reſpectu ad aliquod particulare, ſemper actus prior eſt potẽtia, quia non fit aliquod ens in actu, quod eſt in potẽtia niſi per aliquod ens in actu: Si ergo conſideretur intellectus poſsibilis, vt habet reſpectũ ad particularia & ad intellectum in habitu, vt ſic aliquando quidem intelligit, & aliquã do non ratione phantaſmatum, & vt ſic eſt coniunctus & non ſeparatus, neque immortalis, verum ſolum ille intellectus eſt ſeparatus & perpetuus, qui ſemper intelligit, qui eſt intellectus poſsibilis & agens ſecundum ſe conſiderati, nõ in ordine ad aliquod particulare, quia ſemper ſunt coniuncti ergo ſemper eſt ibi intelligere, quia eſt ibi

vtrunq;,

vtrunq; , quod requiritur ad cauſandum ipſam operationem, quia vt ſic non requiritur phantaſma, & ideo intellectus poſsibilis ſemper intelligit, & eſt id, quod vere eſt. quia ſemper remanet cum ipſa anima, etiam quando fuerit exuta a corpore, verum non remanet intellectus in habitu.ſ. vt eſt ſpeculatio particulariũ, quia non remanet abſq; corpore, quia non fit niſi mediante phantaſmate, ꝙ quidé corpore indiget, & talis intellectus ĩ habitu excluditur ab iſtis tribus intellectibus.ſ.a poſsibili, ab agente, & a cõpoſito ex vtroq; . ꝙ ſolum hij ſunt vere perpetui ſeparati & immortales, intellectus autẽ in habitu corrumpitur interius in nobis aliquo corrupto, vt potentijs ſenſitiuis, & hoc eſt illud, quod poſtea infert Ariſt. in eodem textu, non reminiſcimur autem poſt mortem, quia non adſunt in nobis phantaſmata, quæ requiruntur ad hoc. ꝙ reminiſcamur, & dicit ibi Ariſtot. quia hoc quidem inpaſsibile, paſsiuus vero intellectus corruptibilis, qui eſt virtus cogitatiua. ſine qua anima non intelligit, vt eſt corpori coniuncta, vt ſupra expoſitum eſt: vel ſine qua anima non intelligit, ideſt, ſine virtute cogitatiua anima ipſa non intelligit aliquod determinatum in particularibus: Poterit & etiá

ille

ille textus xx. verificari de intellectu adepto ſolũ, qui remanet in anima exuta a corpore, & eſt illud ſolum, quod vere eſt, quia habet intelligibilia, & eſt ſeparatus, quia amplius nõ indiget potentijs ſenſitiuis ad hoc. vt intelligat, ſed ſolum indiget, vt conuertatur per ſeipſum ad intellectum agentem: & ideo ſecundum ſuam operationem amplius corpore non indiget, & ideo ſeparatus, & eſt id. quod vere eſt: quia veriſsime eſt, ꝙ eſt denudatus a materia, & a pendicijs materiæ, materia enim propter priuationẽ & mutationem turbat verum eſſe, & tunc ille intellectus adeptus, qui in ſimplici conſiſtit intellectu, immortalis & perpetuus eſt, & in illo non reminiſcimur, nec vtimur aliqua virtute ſenſibili, & omnia, quæ ſunt in tali intellectu ſunt denudata a materia & a pendicijs materiæ, quia ſolum ſunt ibi ſecũdum formam, & non ſunt ibi ſecundum materiam. Iſte ergo intellectus adeptus eſt ſeparatus duplici ſeparatione, vna. quia amplius non indiget viribus ſenſitiuis, altera, quia omnia, quæ in eo ſunt, ſunt ſeparata a ſuis particularibus, & ideo magis ſeparatus ꝗ intellectus poſsibilis ſolum, quia indiget viribus corporis, & etiam magis ſeparatus, ꝗ intellectus agens, quia licet intellectus

Agens

Agens quo ad eius primam operationẽ, quę eſt intelligere, ſit maxime ſeparatus, non tamen quoad ſecundam eius operationẽ, quę eſt abſtrahere phantaſmata, & facere potentia intellecta actu intellecta, quia vt ſic corpore indiget, ipſe autem intellectus adeptus in nulla ſui operatione amplius corpore indiget quia omnia ibi ſunt intellecta, & hoc quod intellectum poſsibilem, & omnia ibi ſunt illuſtrata & actu intellecta, & hoc quo ad intellectum agentem, & ideo ipſe eſt, qui vere eſt ſeparatus omni ſeparatione, qui vere eſt: quia omnia ibi ſunt veriſsime quia omnia ibi ſunt ſecundũ formã, quę non habet in ſe priuationem aliquam neque mutationem, & ſic ſolus eſt ſeparatus per reſpectum ad poſsibilem & ad agentem: & non tantum ad ſpeculatiuum: & hic eſt ille vere intellectus, in quo conſiſtit noſtra fœlicitas, quam omnes appetunt, & ideo ipſam Ariſtot. poſuit & ſi non explicite, ſaltem implicite; vt etiam ſuperius dictum fuit; & hæc ſatis quoad ſextum argumentum.

Ad confirmationem autem, quando dicitur: ꝙ non eſt notum ꝙ, ex quo ipſa anima eſt forma corporis, & ꝙ ſit immaterialis oportet, ꝙ ſit hoc aliquid per ſe ſtans: ergo non poterit eſſe vera forma: ſatis de hoc

fuit

ſuit dictum in ſuperioribus, ꝙ ex quo ipſa anima eſt media inter ęterna & corruptibilia.participat de vtroque modo eſſendi. ſ. ꝙ ſit hoc aliquid, & ꝙ ſit, quo aliquid eſt, & ſic poterit eſſe vere forma, & verus actus & perfectio materiæ, argumentum ergo non valet anima eſt id. quod eſt.ergo non eſt id. quo aliquid eſt, bene tenet argumentum in formis pure materialibus, & informis pure inmaterialibus, nec hoc eſt dictum voluntarium, vt patuit ſupra, nec poſſumus dicere in via Auerrois ꝙ ipſa anima intellectiua det eſſe corpori humano, & non tantũ operari, quia in via ſua ſecũdum nos anima intellectiua eſt tantum id. ꝙ eſt, quia eſt forma pure immaterialis, & non habet in virtute potentias vegetatiue & ſenſitiue, ſecũdum quas dicitur materialis, & id, quo aliquid eſt, ſic ergo anima ipſa intellectiua in via Auerrois non poterit eſſe vere forma corporis.

AD aliam confirmationem de eſſe compoſiti ex anima & corpore, nos non ponimus niſi tantum vnam eſſe in compoſito, quod eſt vnum ab vnitate formę, & eſſe cõpoſiti eſt eſſe animę, quod quidem non cor rumpitur ad corruptionem compoſiti, verum remanet cum anima, ſed ſolum deſinit

amplius eſſe compoſiti, ergo homo nō cor rumpitur, ex quo remanet ſuum eſſe, negatur igitur conſequentia, quia ſufficit, ꝙ corrumpatur forma totius, quæ eſt tertia entitas, quæ reſultat ex materia & forma: Et dicimus etiam, ꝙ non tali corruptione corrũpitur. quali corrũpuntur compoſita ex forma materiali & materia. ſicut & non tali generatione generantur ſicut ſupra dictũ fuit, & ꝙ nullum eſt eſſe quod corrumpitur, cũ homo corrumpitur, ſed ſolum ſufficit, ꝙ deſinat communicari ipſi materię, & ſic debemus dicere, ꝙ homo ſit vere cõpoſitum ex materia & forma intellectiua, q̃ ꝙ ipſa anima ſit vtens corpore, vt ponebat Plato, quia non ſolum eſt id quod eſt, verum etiã eſt id. quo aliquid eſt, & ſic patet ad omnes confirmationes ſexti argumenti.

Ad ſeptimum argumentum, quomodo diſtinguerentur ipſe animę ſeparatę: Eſt cõmunis opinio. ꝙ diſtinguerentur per habitudines ſuas ad diuerſa corpora, quas ibi contraxere, dum eis erant vnite, & hoc in via Thomæ: ſimili modo dicemus de intelligentijs, ꝙ poterunt multiplicari in eadem ſpeciei: Dicendum. ꝙ non eſt ſimile, primo quia ipſe animę in corpore, in quo ſunt formę dantes eſſe, conſtituuntur ineſſe ſecundum

cundum quid per potentias materiales, ſecundum quas ſunt id, quo aliquid eſt, ſecundum quas dicuntur materiales eſſe, ſe cundum quas etiam accipiunt diuerſas vnitates numerales, ſecundum quas diſtinguntur, quia arctantur ab hic & nunc, ratione iſtarum potentiarum: ſecundum autem po tentias intellectiuas, ſecundum quas animę ipſe non conſtituuntur in eſſe per materiã verum eſſe ſuum tribuunt ipſis materijs, & ſicut non accipiunt eſſe actuale a toto corpore in genere cauſæ materialis. ita etiam, neque arctantur ſecundum iſtas potentias intellectiuas ab hic & nunc, & per conſequens neque accipiunt vnitatem numeralẽ, & hoc eſt, ꝙ intelligunt vniuerſaliter, & di cam vnum probabiliter. ꝙ non ſolum habent ſpecies vniuerſales in repreſentando, vt placuit Diuo Thomę, verum etiam habent ſpeciẽs, quæ ſunt vniuerſales in eſſendo & ipſe intellectus licet ſit in anima parti culari tanq̃ in ſubiecto tamẽ quia illud ſubiectum non eſt particulare & indiuiduum, niſi ſecundum quid. ſimpliciter, autem vni uerſale non arctatum ab hic & nunc, quia ratione intellectus eſt ſimpliciter anima im materialis: Anima ergo ipſa ex quo eſt media inter formas pure materiales & pure im

materiales, ſicut participat de vtraque natura, vt ſupra dictum eſt, ita participat de vtroque eſſe, & de vtroque modo eſſendi, ſed plus participat de immaterialitate q̃ de materialitate, vt ſupra probatũ eſt, & ideo ſimpliciter eſt immaterialis ſecundum modum eſſendi & modum operandi, & diſtinguendi intelligentiarum, ſecũdum quid autem materiales ſecundum modum materialium, ſed ſpecies in intelligentijs non recipiuntur niſi vniuerſaliter. ergo non recipiũtur in intellectu qua intellectus eſt, niſi vniuerſaliter, & ſic non ſolum erunt vniuerſaliter repreſentatiue, ſed etiam recepte erunt ex modo vniuerſali: verum eſt. ꝙ non tali vniuerſalitate iſte ſpecies recipiuntur in anima intellectiua, ſicut in ipſis intelligentijs, quia ipſe intelligentiæ non ſunt indiuiduate aliquo modo neque ſimpliciter neque ſecundum quid, ſicut ſunt animæ intellectiue: & ideo non repugnat eas multiplicari, ex eo quod habent principium indiuiduãs, quod eſt materia quanta, quia iſta anima ita eſt in iſta materia. ꝙ non in alia cuidat eſſe, quod nõ accidit in ipſis intelligentijs, & eo magis in ipſo deo, quia corpori non dant eſſe: & etiam ſi dant eſſe ſecundum nonnullos, quia tamen non poſſunt dare eſſe niſi

vni

vni mobili vnius ſpeciei, quia non poſſunt plura mobilia eſſe in cœleſtibus vnius ſpeciei, & ideo non poterunt diſtingui indiui dualiter ratione mobilium, ſed ſolum ratio ne ſpeciei. Anima ergo intellectiua eſt hæc. qua Anima intellectiua, capiendo, ly. qua re duplicatiue, vt ſupra dictũ eſt. quia tali modo eſt actus corporis, & multiplicatur ad multiplicationem corporis, & ſicut multiplicatio corporis eſt cauſa multiplicationis animæ, in genere cauſę materialis, ita etiã eſt cauſa diſtinctionis. ſicut omnes formę habent diſtingui per earũ corpora, per quæ conſtituuntur in eſſe: verum quia accidit iſtis formis materialibus, ꝙ ſint forma habens intellectum. ratione cuius ipſa erit ſeparabilis, & ideo anima humana remanet poſt corpus & remanet principium diſtinctionis, quod cõtraxit, dum erat in corpore, quæ erat vnitas numeralis, quæ eſt principium quantitatis diſcretæ, quæ non cauſatur niſi ex diuiſione continui quæ eſt ex diuiſione materię quante huius corporis & illius.

ISTA ergo anima eſt vna non dico tan tum vnitate tranſcendenti, ſed etiam vnita te numerali, & quælibet eſt vna tali vnita-

te, per quam vna diſtinguitur ab altera, ſuper qua vnitate poterit ſundari iſta relatio, quæ eſt habitudo, & non diſtinguntur per habitudinem,quia eſt relatio, niſi forte pro tanto quanto denotat nobis materiam quā tam,quę eſt corpus:capiendo autem ly.qua, ſpecificatiue, ideſt tantum ſecundum ratio nem intellectus cum preciſione potentiarū materialium.ſic non arctatur ab hic & nūc, neque eſt actus, & per conſequens non erit vna tali vnitate, quali diſtinguntur animæ ad inuicē licet ſit vna vnitate tranſcendenti, neque plures, & eſt vbique & ſemper, ſicut intelligentię, & non arctatur ad vbi, neque ad tempus, niſi ratione operationis, ſicut fit in ipſis intelligentijs, quæ ſunt in loco & in tempore per operationes: intellectus ergo erit vniuerſale pro tanto, quanto de ſe non etit arctatus cōdicionibus indiuiduantibus,& per conſequens non erit. quo vnus diſtinguatur ab altero. vt intellectus eſt.licet ſint plures intellectus. immo tot animę, quot corpora, & intellectus diſtincti nume ro, & in hoc non multum diſſentimus ab Auerroe, niſi inhoc, ꝙ intellectus, ex eo ꝙ cōiungitur potentijs ſenſitiuis. ratione qua rum multiplicatur. in Auerroe autem non multiplicatur, quia ipſis potentijs non con

iungitur

iungitur, & hoc ſtando ſemper in opinione Ariſt.& iſta fidei non contradicunt: Amplectamur id, quod boni & veri dixit Auerroes, coniungendo cum vero. quod noſtra fides tenet, & hæc quod ſeptimum argumentum.

Ad octauum argumentum, quando dicitur ſtante æternitate mundi in via Ariſto. & ꝙ ſemper fuerit homo, infiniti homines ſunt,ergo infinite animæ præceſſere & ſunt. ergo dabitur infinitum in actu: Reſpondetur negando ſequellam, & hoc primo probabiliter dicendo,ꝙ, ly. infinitum aut dicit mihi infinitum in quantitate continua, & tale non poteſt eſſe, vt patet tertio phyſicorum, & ſic non ſequitur, aut ly, infinitum dicit mihi quantitatem diſcretam, ideſt numerum infinitum, & hoc non poteſt eſſe, quia non ſequitur in iſto corpore, a, gratia exempli ſunt infinite partes ſaltem in potẽtia, quia, a, corpus poteſt diuidi in infinitas partes, ex eo ꝙ non repugnat: Diuidatur ergo per potentiã diuinam ipſas infinitas conſeruantẽ, tunc ibi ſunt infinitæ partes actu, & tamen non erit infinitus numerus, & per conſequens non erit infinitum in actu,quia non ſunt numerate, licet ſint numerabiles, ex eo ꝙ infinitum numerum potes nu-

merare, non tamen numerabis, & ideo argumentum nullum.

DATVR & alia reſponſio vel ly, numerum accipimus materialiter, pro ipſis animabus numeratis, aut formaliter pro menſura, qua numeramus, dimittamus de anima numerante: ſi accipiatur pro animabus numeratis, ſic nullũ erit infinitum in actu, vt patet bene verum eſt. ꝙ erunt infinita entia, quorum nullum erit infinitum in actu, quia nullum iſtorum entium, quę ſunt infinita, eſt actu infinitum: ſi autem accipiatur pro menſura, qua numeramus, vt ſic eſt in anima, & infinita entia intentionalia, non repugnat eſſe: neque tale infinitum reprobatur ab Ariſto. tertio phyſicorum: quia tu potes imaginari infinitum in actu, tamen. ꝙ poſſit eſſe actu infinitum in re hoc reprobatur ab ipſo Ariſt.

DATVR & alia reſponſio, & eſt non haberi pro inconuenienti, ꝙ ſint infinita entia in actu æqualis perfectionis eſſentialis, ſicut ſunt illa, quæ ſunt accidentaliter ordinata: verum Ariſt. ſemper abhorret proceſſum in infinitum in eſſentialiter ordinatis, nõ autem in accidentaliter ordinatis, ſicut ſunt animæ, inter quas non eſt niſi ordo accidentalis, ex quo ſunt eiuſdem ſpeciei.

Alij

ALII autem aliter reſpondent ad hoc argumentũ, & dicunt, ꝙ duplex eſt multitudo, vna eſt prædicamentalis, altera tranſcendens, multitudo prædicamentalis eſt numerus de prædicamento quantitatis cauſatus ex diuiſione continui: Eſt multitudo tranſcendens quæ reperitur extra continuum, vt multitudo angelorum, multitudo animarum: dicunt ergo iſti. multitudinem prædicamentalem eſſe actu infinitam, negat Ariſtot. multitudinem vero tranſcendentem eſſe actu infinitam, non repugnat, nec eam negaret Ariſto. ſed preſeruat ſe ab iſta, nam tertio phyſicorum incipiens Ariſto. demonſtrare non dari infinitum, diſtinguit tres magnitudines, & ibi dicit expreſſe ſe velle loqui tantum de finito & infinito in naturalibus, non autem in alijs, & rationes Ariſto. probantes ibi non dari infinitũ. ſolum probant non dari infinitũ in naturalibus & nõ in alijs, cum igitur animę ſint intellectuales, ſequitur non eſſe inconueniens ponere infinitatem in ipſis animabus, & iſta reſponſio videtur coincidere cum ſecunda reſponſione.

SED contra hanc reſponſionem arguo ſic, & præſuppono vnum verum ꝙ. ſ. vnum infinitum non poteſt eſſe maius alio infinito, quo

to, quo præſuppoſito ſtante arguo ſic. capio infinitam multitudinem animarum, & ſit, a, & eam diuido in duas medietates, & vna meditas ſit b, & altera medietas ſit c, tũc quæro ab iſtis, vtrum b, medietas ſit finita vel infinita, & ita dicatur de c, medietate ſi dicant, ꝙ, b. medietas ſit finita, & ita c. ergo, a multitudo conſtituta ex duabus medietatibus finitis erit finita. ergo tota multitudo omnium animarum erit finita. ergo non animæ infinitæ: ſi autem dixerint b. meditatẽ eſſe infinitam, & ita c. tunc arguo ſic, a, tota multitudo eſt infinita, & b. pars eſt infita, ſed per prſuppoſitum vnum infinitũ nõ eſt maius alio, ergo a, totum non erit maius b. parte, quod eſt falſum, quare magis accepto alias reſponſiones.

AD nonum argumentum dicitur, ꝙ ipſa anima incipit fieri non per viam generationis, ſed per viam creationis, & cum dicebatur: Ariſt. nullibi fecit mẽtionem de creatione, ergo non datur. Dicitur, primo, quod ſunt nonnulli, qui dicunt Ariſt. compoſuiſſe librum de creatione, qui apud nos non habetur. Dico ſecundo ſicut dictum fuit ſupra, quod argumentum ab auctoritate negatiue non valet. immo dicebat argumentum. ſi eam poſuiſſet Ariſt. aperte peccaſſet

per

per fallaciam conſequentis, quia non valet, mundus non incepit per viam generationis ergo non incepit, ſi daretur creatio: Dicendum ergo eſt ad hoc argumentũ, ꝙ argumẽtũ iſtud eſt ad hominẽ, quia vt ipſe inquit. Plato poſuit mũdũ per motũ incepiſſe eſſe, & hoc argumẽtũ philoſophi bene cõcludit quia, tu, ꝙ ponis mundũ incœpiſſe fieri per motum, ſequitur, quod mundus non incipit eſſe, nam argumentum non concludit abſolute, ſed tantum ad hominem: immo Albertus Magnus ſuper illo paſſu octaui phyſicorum dicit, quod Ariſt. imponit hoc Platoni, & ſecundum quod imponit, argumentum eſt demonſtratiuum: Verum falſo hoc imponit Platoni quia Plato voluit mũdum incœpiſſe non per viam motus, & ſic argumentum Ariſtot. nihil probat, vt Albertus inquit: ſufficiebat enim Ariſt. ibi Platonem redarguere, & non probare, quod mũdus non incœperit, quia ſi voluiſſet oportebat Ariſto. omnem modum incœptionis remouere, ſed inſert conſequens abſolute, ex via generationis ad illum, qui volebat mundum fieri per viam generationis.

AD decimum argumentũ dicitur, quod iſta opinio Diui Thomæ non peccat in via Ariſt. ponere creationem, quia non contradicit

dicit principijs Ariſto. & ipſam Ariſtoteles creationem non negat: dico etiam, quod non peccat iſta poſitio in ponendo animam ipſam immediate creari a deo, quia Ariſto. quando ponit, quod deus non agit in hæc inferiora, niſi per cauſas intermedias, hoc habet veritatem in illis, in quibus agit per motum non autem in illis, quæ per ſimplicem emanationem producit, quæ ſunt immaterialia, quę non producuntur ineſſe per motum, & hoc in via Diui Thomę: Verum in Alberto noſtro ſecus dicendum, & iudicio meo magis ad mentē Ari. vt partim colligi poteſt in tertio de anima, partim in xi. meth. de productione intelligētiarū, & partim in libello de intellectu & intelligibili, ꝙ ſicut deus in iſta inferiora agit mediantibus cauſis intermedijs, vt mediantibus motibus cœlorum & elementorum, ita deus ſi producet ſecundam intelligentiam, producet mediante prima, & tertiam mediante prima & ſecunda, & ſic vſq; ad productionem animæ intellectiuæ incluſiue, in eo quod intellectiua in eo vero quod vegetatiua & ſenſitiua, cōcurrunt corpora cæleſtia ita quod ſicut agens corporale non agit in hæc inferiora niſi mediantibus cauſis particularibus, ita deus in intelligentijs inferioribus non pro-

producit neque agit, niſi mediantibus inter medijs, & ſic patet reſponſio & ſecundum Diuum Thomam, & ſecundum Albertum.

Ad vndecimum argumentum. Dicendum, ꝙ verum eſt, ꝙ omne ingenitũ incorruptibile, & omne incorruptibile ingenitũ, & iſti termini conuertũtur, & cum arguebatur per te o Thoma, anima humana eſt incorruptibilis, ergo ingenita, ergo nunquam incœpit: Diceret ad hoc ſanctus Doctor, negando hanc conſequentiam, anima eſt ingenita. ergo nunq̃ incœpit: verum eſt, quod nunquam incœpit anima per viam generationis, ſed bene per viam creationis. vnde ingenitum ſic exponitur, quod eſt, & nunq̃ fuit verum dicere, quod non fuerit, qualiter non poteſt dici de ipſa anima: Vbi notandum pro ſolutione, quod Ariſtot. ibi. ſ. primo cęli vult probare corpora cęleſtia eſſe incorrupribilia, ex eo quod non ſunt generata, vt etiam octauo phyſicorum probauit: Vnde ingenitum dicitur illud, quod eſt, & nunq̃ fuit verũ dicere, ꝙ non fuerit, tamẽ eſt aptum natũ generari. ita ꝙ ſi haberet eſſe poſt nõ eſſe, haberet illud eſſe ꝑ viã generationis: vult dicere, ꝙ illud, quod haberet eſſe per viã generationis, ſi non ſemper fuiſſet, ſed incœpiſſet aliquãdo eſſe, quod ſi ſemper

per fuit, eſt, & erit eſt ingenitum, ſicut ſint corpora cœleſtia, quæ ſemper fuerunt ſunt, & erunt, & ſunt ingenita, & non ſunt genera ta, vt Plato volebat, vt ſupra dictũ fuit, ꝙ po nebat corpora cœleſtia habere eſſe poſt non eſſe, per viam generationis, vt ipſe Ariſt. arguit contra ipſum, & probatum eſt octauo phyſicorum, quod ſunt ingenita, quia non ſunt producta ineſſe per viam motus, ergo ſemper fuerunt & erunt, ergo incorruptibilia, ergo non habebunt eſſe poſt non eſſe, quod eſt oppoſitum, quod Plato dicebat.

Ex quo ſequitur, quod non proprie dicimus ipſam animam fore ingenitam, ſicut non dicimus proprie lapidem fore iniuſtũ. ſed bene dicimus & proprie, quod anima non eſt genita, ſicut proprie dicimus, quod lapis non eſt iuſtus, tamen improprie quandoque iſta nomina confunduntur, dicimus ergo proprie, quod ipſa anima non eſt genita, non tamen propter hoc ſequitur, ergo nunq̃ fuit verum dicere, quod non fuerit. immo aliquando fuit verum dicere, quod anima non fuit, quia ante primum ſui eſſe, & dicimus, quod ipſa anima non eſt incorruptibilis, accipiendo proprie, ly, incorruptibile, vt conuertitur cum ingenito proprie ſumpto, ſicut iſta eſt vera, lapis non eſt

iniu-

iniuſtus, quia licet anima ſit non corruptibilis, non tamen eſt apta, ꝙ corrumpatur, quia ſi haberet non eſſe poſt eſſe, illud non haberet per viam motus, qui præexigitur ad ipſam veram corruptionem, ſicut ad veram generationem. Iſti ergo termini conuertuntur, tamen ſępe abutimur ipſis, dicimus ipſum intellectum immortalem incorruptibilem, & etiam ingenitum, & ſi viſus eſt Ariſtot. ibi loco allegato, ꝙ omne, quod habet eſſe poſt non eſſe, ſit genitum, quomodocumque illud habeat eſſe, accipitur ibi genitum largo modo, & ſic non conuertitur cum ly corruptibile, quia iſti termini non cōuertuntur, niſi ly. genitum capiatur proprie, quia tunc haberet materiam tranſmutationi ſubiectam, & per conſequens corrumpetur, aliter natura poſsibilis fieret, neceſſaria, & ideo non ſequitur, genitum ergo corruptibile, quia eſt fallacia conſequentis, quia genitum largo modo ſumptum habet duas cauſas veritatis, ex quarum vna tantum conſequens infertur & non ex altera.

AD duodecimum argumentum dicendum, ꝙ non eſt mirabile, quia totum intentum Ariſto. fuit ipſum Platonem redarguere, & ſunt rationes tãtum ad hominem, & ideo non fuit opus ꝙ exciperet ipſam animam,

mam, quia anima non eſt ingenita, vt ſupra dictum eſt, & ex hoc non reliquit nobis viam errandi, vt patet intelligenti.

Ad decimum tertium dicendum, ꝙ nõ capimus paruam admirationem de iſtis, qui in omnibus & per omnia ipſum Ariſtot. ad ſydera extollunt in vnaquaque re in indagã da veritate, & quod iſti dicunt, ſcimus ipſam animam fore mortalem in via Ariſt. & ſequitur ex principijs ſuis, & eſt falſum, ergo principia eius ſunt falſa, quia non ſequitur falſum niſi ex falſo: non capiunt admirationem de hoc, ſed capiunt admirationẽ, ꝙ Ariſt. non fecerit mentionem de ſtatu animæ poſt ſeparationem a corpore: Ad hoc dicimus. ꝙ non fuit ob aliud, niſi quia Ariſt. noluit ponere aliquid & aſſerere, niſi probatum relinqueret ex fortiſsima ratione ſumpta mediate vel immediate ex cognitione ſenſitiua, vt patet primo poſteriorum, & cum omnis talis probatio innitatur motui & corporalibus, quia non cadunt ſub ſenſu niſi corporalia, ideo vbi non cadit talis probatio inter aliqua, illa non ponit, tamen etiam ea non negat: Volens etiam in hoc diſſentire Ariſtot. ab ipſo Platone, qui multa poſuit ſine tali probatione: habemus tamen, ꝙ reliquit nobis ad perſcrutandum

de ipſo

de ipſo ſtatu poſt mortem, vt ſupra patuit in expoſitione illius textus XII. methaph. quod non prohibet aliquam partem animę intellectiue poſt mortem remanere.

Ad decimum quartum argumentum, quo probatur nullam eſſe felicitatem poſt mortem, & per conſequens ipſa anima poſt mortem non remanet: Negandum eſt. ꝙ ipſe Ariſto. dicat hoc, & licet videatur aliquã do dicere, non tamen dicit, ſicut hoc videtur tale, non tamen eſt tale, quia non valet argumentum ab eo, quod apparet, ad eſſe; & licet dicat Ariſto. ꝙ quis magis debet eligere mortem, q̃ committere aliquod ſcelus magnum, potius iſte textus Ariſtot. eſt pro nobis, qui ponimus talem felicitatem poſt mortem, quia maius eſt bonum, quod homo ipſe habet poſt ſeparationem animæ a corpore, quod ei accidit. ſi moritur abſq; aliquo magno ſcelere, q̃ viuere cum tali magno ſcelere, quia poſtea amittere felicitatem poſt mortem: Sed quid dicemus ad Diuum Thomam, quem in hac materia ſequimur, qui eſt quaſi dubius, quomodo Ariſto. hoc ponat: ergo Thomas non eſt certus, ꝙ ipſe Ariſto. ponat animam remanere poſt mortem: Primo dico, ꝙ ex iſta auctoritate noſtri aduerſarij nihil habent contra

nos, ꝙ.ſ.ipſa anima ſit mortalis, quia in via Auerrois anima eſt immortalis, & tamen nihil remanet poſt mortem, quia licet remaneat anima, quæ eſt immortalis, tamen non remanet anima iſtius, amplius non communicat ei operationem ſuam: Verum ſecundum Thomam, dico, ꝙ Thomas non eſt dubius in via Ariſtot. ꝙ ipſa anima non ſit immortalis, verum in eius via eſt dubius de ſtatu ipſius animæ, qui nam ſit & qualis, quia de eſſe ipſius ſtatus nihil expreſſe habemus ab ipſo Ariſt. credimus bene firmiter in via eius, ꝙ anima ſit immortalis, vtrum vero ſit vnica vel plures, in hoc ſum valde perplexus, & ad quam partem me conuertam, neſcio ablatis præceptis fidei, quę maxime veritati innituntur, cum ab eo proueniant, qui eſt ſumma veritas, ſumma ſapientia ſumma bonitas, a quo cuncta bona & vera procedunt, & cui nullus poteſt accidere error, nullum mendacium. Diximus itaq; in ſuperioribus, hoc fore problema neutrũ in via Ariſtot. vtrum. ſ. anima ſit vnica vel plures, & ꝙ vtrunque ex dictis Ariſt. probabiliter elici poteſt: ꝙ vero ſit immortalis, puto demonſtratiue & non topice eliciatur ex ipſo Ari. Quod vero habeatur ab Ariſt. tertio Ethicorum, ꝙ quis malit mori, q̃ male viuere, &

ꝙ Tho-

ꝙ Thomas dubitet, quomodo hoc ſit dictum Ariſt.non video hoc dici ab Ariſto.in tali loco, benedicit hæc verba: Quod cum propter metum maioris mali, vel propter aliquod bonum turpiter operemur, ꝙ iſti actus voluntario & in volũtario ſunt mixti. verum ſunt magis ſimiles voluntarijs, nam in electione tunc ſunt, cum fiunt, finis autẽ agendi ſecundum tempus exiſtit, & voluntarium igitur, & in voluntarium, tunc cum agitur, dicẽdum eſt, agit autem volens, &.n. tunc principium mouendi organicas partes in talibus actionibus in ipſo eſt, quorũ autem in ipſo principium eſt, in eo quoque eſt.vtrum agat vel non agat, quare voluntaria ſunt talia. licet per ſe fortaſſe ſint in voluntaria, nemo.n.tale quid ſpõte faceret:hęc Ariſt.tertio Ethicorum capite ſecundo: Ex quibus omnibus infertur, ꝙ cum Ariſto.in iſto tertio Ethico. dicat & probet, ꝙ vnuſquiſque laudandus eſt & vituperandus non ſecundum ea quæ inſunt ei a natura, ſed in hijs, quę ſibi inſunt ſecundum voluntatem, & propter hoc nullus debet vnq̃ committere aliquod ſcelus magnum neque paruum propter aliquod bonum neque propter metum maioris mali.immo mortem ipſam põtius eligere, q̃ aliquod ſcelus tale perpetrare

quia ſecundum talem perpetrationem ſcele ris vituperaberis, quia hoc tibi ineſt a volũ tate in te eſt electio iſtius actus perpetrandi tale ſcelus,agis.n.valens,& principium mouẽdi organicas partes in talibus actionibus in te eſt.& ideo voluntaria ſunt hæc: verum ſi eſſent per ſe,ꝙ. ſ.ego debeam mihi mortẽ eligere abſque alio,ex quo nemo eſt,qui appetat mori: hoc eſt in voluntarium, ſecundum,ꝙ homo non eſt laudandus neque vituperandus, & cum homo debeat magis facere actus ſuos ſecundum ꝙ eſt laudandus q̃ non laudandus,neque vituperandus, quia hos facit ſecundum ꝙ eſt animal, illos vero ſecundum, ꝙ eſt homo: & non propter hoc ex hijs habetur,ꝙ anima ſit immortalis nec mortalis, immo multi appetunt ipſam virtutem propter ſe, & non propter futurum ſtatum, & multi propter futurum ſtatum. Dubius ergo eſt Diuus Thomas in quibus Ariſ.ſit reponendus,& nõ ꝙ ſit dubius, quid nam ſenſerit Ariſt. de ipſa anima,vtrũ ſit immortalis,immo certus eſt Thomas,ꝙ Ariſtot. velit ipſam animam humanam eſſe immortalem.

SED vnum animaduertẽdum. quod noſtri Aduerſarij dicunt, dicunt.n.Ariſto.nullam ponere felicitatem poſt mortem,immo videtur

videtur mihi oppoſitum, nam Ariſt. primo Ethicorum capite v i i i. dicit honorem vero & voluptatem & mentem atque omnem virtutem, tum propter ſeipſa expetimus, tũ propter felicitatem, per illam nanque fore nos beatos credimus, hæc Ariſt. loco illo.

QVOD confirmatur per Ariſt. decimo Ethicorum capite x. vbi inquit, ꝙ operatio dei beatitudine præcellens contemplatiua eſt, & in hominibus operatio illa, quę huic cognatiſsima eſt, erit vtiq; feliciſsima, & ſecundũ illam nos maxime exiſtimamus deos felices ac beatos eſſe, & nos etiam ſecundum illam huic cognatiſsimã exiſtimamus nos fore beatos, non ſolum quę nobis eſt in hac vita, ſed in altera, quia magis eſt ſimilis beatitudini diuinæ: vide, ſi Ariſt. ponat felicitatem poſt mortem.

AD illud vero Diui Thomę in expoſitione, Simboli apoſtolorum, ſuper illo verbo. Carnis reſurrectionem, ꝙ niſi expectaremus talem reſurrectionem, melius eſſet, quod quis perpetraret ſcelus quodcunque q̃ mortem ſubire. Dicitur, ꝙ Diuus Thomas ibi loquitur, non vt Ariſtotellicus, verum vt criſtianus, qui habet alia principia a principijs Ariſto. quæ adinuicem non ſunt miſcenda.

Ad decimum quintum argumentum dicendum, ꝙ Ari. fuit diligens inquiſitor in omnibus particularibus & vniuerſalibus, quæ poſsint probari fortiſsima ratione, & illa poſuit, quæ autem non poterant probari fortiſsima ratione: non negauit, neque affirmauit De iſto vltimo ſtatu poſuit ipſum Ariſt. in locis allegatis, quod eſt ipſa operatio contemplatiua, ſed non ſe determinauit in quanam vita ſit, vel in hac vita, vel in futura, vel in vtraq;, & ſi in vtraq;, in qua principaliter: elicitur tamen ex dictis eius, quod principaliter in vita futura, quia magis eſt ſimilis beatitudini diuine.

Ad decimum ſextum & vltimum argumentum dicimus, ꝙ nos non cogimur ponere propter hoc reſurrectionem corporũ, neque fingere fabulas pithagoreas, ꝙ. ſ. animę tranſmigrent de corpore in corpus, neque concedere, ꝙ iſte animæ ſeparatæ, quæ ſunt tam nobiliſsima entia, ocientur, quia licet ſeparate priuentur operationibus naturalibus & vegetatiuis & ſenſitiuis, non tamẽ ſunt priuate operationibus, quę ſunt animæ intellectiuæ. ſ. intelligere. immo magis viget ibi illa operatio, quia eſt continua; ſicut eſt operatio intelligentiarum: bene verũ eſt, ꝙ vnumquodq; ens, cum priuatur ſuo fine vlti-

ne vltimo,tunc ociatur, non tamen,cum pri uatur ſuo fine non vltimo,qui eſt ad vltimũ ordinatus ad ipſum aſſequendum, quo adepto poſtea ceſſat,ſicut ſunt virtutes vegetatiue & ſenſitiue, quæ ſunt propter intellectiuas in homine, & ſic credimus ſatisfactum fuiſſe argumentis partis oppoſite.

PRAETER hęc argumenta doctor iſte Pomponatius probat ſuam poſitionem auctoritate maximorum virorum, & maxime Diuini Hippocratis, qui apud quoſcunque viros clariſsimos habetur diuinus, qui ex ſubtilitate ingenij ſui omnia naturalia ex ſeipſo intellexit, qui poſuit ipſam animam fore mortalem,nam poſuit ipſam oriri cum corpore, & occidi cum corpore, & iſte doctor non adducit locum,quo nam loco Hippocrates hoc dicat. Dicit tamen Hippocrates in quinta particula Epidimiarum textu comenti v. i i i. Hominis anima ſemper oritur vſque ad mortem,ſi vero igneſcit, ſimul cum egritudine corpus depaſcitur: Hæc Hippocrates ibi.

QVIDAM expoſitores exponentes iſtũ textum dicunt, ꝙ Hippocrates poſtq̃ determinauit de ægritudinibus & natura tranſfert ſe ad determinandum de anima, dicens, ꝙ anima hominis ſemper oritur.i.docetur,

adiſcit,ſicut dicebat Plato, quoniam amabi lis eſt ſcientia & in ſenectute: Galenus vero ibi dicit in commento, ꝙ Hippocrates ibi non determinat de anima, quoniam hoc nõ eſt proprium medici.ſed negocium hoc eſt Ariſt. et Platonis & aliorum philoſophorũ, determinare de ipſa anima, a quibus inueſti gatur, vtrum ſubſtantia animæ ſit corporea vel incorporea. ſiue per ſe mobilis, ſiue ab alio, ſiue mortalis, ſiue immortalis: ſimiliter & ab ipſis ſtoicis dubitãtur ea, quæ ſunt ani mæ, & quid eſt anima: Multi tamen putant de mente Hippocratis ipſam animam fore calorem naturalem, qui oritur cum corpore. i. ſemper nutritur, & corpus augumẽtat: ſi vero ignefcit. i. fiet pręter naturalis, ſimul çum corpore depaſcitur. i. conſumitur, & non reſtauratur.

Credo, ꝙ hęc non fuerit mens ipſius Hippocratis per illa verba, quia ex quo habebatur diuinus, ꝙ hæc tam abſona a verita te dixerit, ꝙ. ſ. ipſa anima intellectiua ſit calor naturalis, verum quia medicus erat, tãtũ ea, quæ erant medici. poſuit, quæ autem ſint medici, ſunt, & maxime, vt ſanitatem procu ret, & conſeruet, & procurare, ne corpus diſ ſoluatur, quod eſt ipſam animam in corpore conſeruare, quę non conſeruatur, niſi per

conſer-

cõſeruationem eius caloris naturalis, & per cõſeruationem eius complexionis, quæ ſunt inſtrumenta operationum naturalium & ſunt fundamenta aliarum operationum, & hoc eſt, quod Galenus dicit in libello de ſubſtantia virtutum naturalium, ꝙ cuſtodita eius naturali eucraſia in corpore animam ſeparari a corpore extimo cognoſcere impoſsibile eſſe, & propter hoc ſubſtantiam eius, quę ſit, non eſt neceſſarium ad ſanationes ægritudinum, neq; ad cuſtodiam ſanitatis ſcire, quemadmodum neq; ad moralem philoſophiam operatiuam & politicam, nominet ergo, quomodo vult, ipſam animam: in quo loco etiam elicitur me nõ videre mẽtem Galeni de ipſa anima. immo ibi inquit Galenus, animam corpore diſpenſari animalia cognoſcere certe non promitto, quemadmodum nec ſi nulla per ſeipſam eſt ſubſtantia animæ, vnum tamen certe ſcio. ꝙ ſi inhabitat corporalibus, famulatur naturis eorũ, quæ ſunt, vt dixi ex quatuor elementorum cõcretione fiente, ideſt corpora noſtra inhabitat, & ſiquidem immortalis exiſtens ſubſtantijs corporalibus confunditur, & non cognoſcimus ipſam operari niſi mediante complexione tanq̃ inſtrumento & mediantibus organis. immo etiam inquit Galenus in libel-

in libello de virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus, ignorare ſubſtantiam animæ confiteor, cum a nullo demóſtrationem euidentem didicerim, &c. hæc Galenus locis illis: Ecce q̃ clare Galenus loquitur de ſeipſo dicens confiteor me ignorare ipſam animã, quæ nam ſit, et vtrũ mortalis vel immortalis, & hoc eſt, quod ſibi Auerroes imponit tertio de anima: Quod vero dicat Pomponatius, ꝙ Galenus poſuerit animam eſſe mortalem, non video locum, in quo hoc Galenus poſuerit, niſi forte in libro de complexionibus, vbi videtur velle omnem operationem in corpore humano fore mediante complexione, tanq̃ inſtrumento, & ipſam fore formam ſubſtantialem: De quo dicto Conciliator facit differentiam, vtrum complexio ſit ſubſtantia, & eſt differentia XVII. licet ex altera parte viſus ſit dicere Galenus multas operationes prouenire, non a complexione, verum a proprietate occulta, vt ꝙ ſcamonea purgat coleram, vel reubarbarũ, & hoc, non quia calidum vel frigidum, verum quia tale, vt patet etiam a Conciliatore differentia L X. qua quærit vtrum qualitate omnis operatio perficiatur, & ſic patet, quid ſentiẽdũ ſit de ipſo Galeno, & licet multi ſint viri doctiſsimi, vt Alpharabius.

Auem-

Auempace Alexander aphrodiſeus, qui ponant animã intellectiuam fore mortalem, tamen non pauciores ſunt dignitate doctrina ſanctitate, qui loquentes in via Ariſtot. ponunt ipſam animam immortalem eſſe, immo multo plures: nonne Theophraſtus: qui fuit & ipſe diſcipulus Ariſtot. & Themiſtius in via peripatetica clariſsimi viri ponunt ipſam animam immortalem, dicentes in ipſa anima non eſſe niſi intellectum agentem, & nullum intellectum poſsibilem in ratione poſsibilis, qui ſit pars animę rationalis: nonne Abubacher, & Auempace non minoris auctoritatis, licet errent in ponendo eius vnitatem numeralem & ſpecificam, ponunt tamen ipſam immortalem: Nonne Gregorius Nicenus, & fere omnes inſequentes doctrinam Platonis, ponunt ipſam animam eſſe immortalem. Quid de Auerroe, qui licet in vno errauerit. ſ. in vnitate eius, tamen de eius immortalitate verum dixit, qui ſummus in via peripathetica habetur omui etate verum maxime noſtra tempeſtate: Quid dicam de Auicenna, qui princeps appellatur, dico princeps doctrinæ tempore ſuo, qui quodam modoillumi natus, vtranque partem ipſius animæ poſuit, & ꝙ ſit plures, & quod ſit immortalis: Quid

Quid de Alberto magno, quem nulli ſecundum in doctrina fore arbitramur. Quid de Auguſtino. Quid de Diuo Thoma, qui ſemper conatus eſt defendere iſtam fore mentem Ariſto.ſ.ipſam animam fore immortalem. Quid de Egidio romano. Quid de cæteris doctoribus Eccleſiæ & reliquis maximis philoſophis tempeſtate noſtra, & eo magis cum & lex moſaica & lex Maumeth. hoc & ipſe tenent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE